

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

In. Epistolas M. Tvllii Ciceronis Qvae Familiares Vocantvr Paulli Manutii Commentarius

Manuzio, Paolo

Venetiis, 1579

Argumentum ep. I. lib. III.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764133)



IN . EPISTOLARVM

M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . TERTIVM

AD . APPIVM

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS



Argumentum ep. I. lib. III.



Notus hic ad Appium, P. Clodij fratrem, scriptus liber est: primae sex epistolae Ser. Sulpicio, M. Marcello cos. septima L. Paulo, C. Marcello. octava ante septimam collocari debuit, cum scripta sit Octobri mense, ante devictos Amaniensis: quod in extremo significatur: ex quo patet, scriptam esse Sulpicio, & Marcello cos. quinque reliquae scriptae sunt consulatum gerentibus Paulo, & Marcello. Primam epistolam Phaniae, Appij liberti, dedit: eoq. brevitatem excusat, quod a liberto prudentissimo, ac diligentissimo, posset Appius omnem reip. statum optime cognoscere. Suam in Appium benevolentiam declarat: eumq. tacite hortatur, ut Clodiam gentem, sibi adhuc, propter contentiones P. Clodij, non amicam, secum in gratiam reducat. Laudat alterum eius libertum Cilicem, ut Phaniam tamen pluris facere videatur. Valerium iuriconsultum, non sine ioco, commendat.

M. Cicero

M. Cicero S. D. Appio Pulchro imp. 1.



IPSA resp. tibi narrare posset, quo modo sese haberet; non facilius ex ea cognoscere posses, quam ex liberto tuo Phania: ita est homo non modo prudens, uerum etiam, quod uidi, curiosus. quapropter ille tibi omnia explanabit. id enim mihi & ad breuitatem est aptius, & ad reliquas res prouidentius. De mea autem beneuolentia erga te etsi potes ex eodem Phania cognoscere, tamen uidentur etiam aliquae meae partes. Sic enim tibi persuade, carissimum te mihi esse cum propter multas suauitates ingenij, officij, humanitatis tuae; tum quod ex litteris tuis, et ex multorum sermonibus intelligo, omnia, quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. quod cum ita sit; perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, & gratia, & breuitate, & magnitudine officiorum meorum sarciam. idq. me, quoniam tu ita uis, puto non inuita Minerva esse facturum: quam

quidem ego si forte de tuis sumpsero, non solum Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Cilix, libertus tuus, antea mihi minus fuit notus; sed, ut mihi reddidit a te litteras, plenas & amoris, & officij, mirifice ipse suo sermone subsecutus est humanitatem litterarum tuarum. incunda mihi eius oratio fuit, cum de animo tuo, cum de sermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. quod id quaeris? biduo factus est mihi familiaris, ita tamen, ut Phanium ualde sim desideraturus, quem cum Romam remittes, quod, ut putabamus, celeriter eras factururus; omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari a me uoles, mandata des uelim. I. Valerium iurisconsultum ualde tibi commendo, sed ita etiam, si non est iurisconsultus. melius enim ei cauere uolo, quam ipse alij solet. ualde hominem diligo. est ex meis domesticis; atque intimis familiaribus. omnino tibi agi gratias; sed idem scribit, meas litteras maximum apud te pondus habituras. id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo. Vale.

EXPLANATIO



APPIO; eius Ap. Clodij filio, qui cum P. Seruilio Isaurico consul fuerat, anno urbis DC LXXIV. Obijt post pugnam Pharsalicam, ut auctor est Valerius lib. I. cap. 6. Repudiatum ab hac gente Lucij praenomen, ob turpem duorum gentilium uitam, Suetonius ostendit. **PULCHRO**; gentis Claudiae fuere Pulchri, Neronis, Marcelli; patricij Pulchri, & Neronis, plebeij Marcelli. quod Asconius, alijq. tradiderunt. Nobilitatem hanc gentem duobus de triginta consularibus, dictaturis quinque, censuris septem, triumphis sex, duabus ouationibus, in Tiberij uita Suetonius dixit. **IMP.**; ex qua pugna sit hoc nomen adeptus, non apparet: rem tamen ab eo bene gestam, non modo haec inscriptio, quae imperatorem nominat, sed ultima etiam epistola declarat: nam in ea suum studium Cicero in supplicatione ob res prospere gestas Appio decernenda commemorat. Sperauit etiam triumphum: quem ei P. Dolabellae ademit aecusatio, ut epistolae duae demonstrant, una Ciceronis, decima huius libri, altera Coelij, nona lib. II. **QUOD UIDI**; & aperta sententia est, & ita legitur in septem antiquis libris. alij placuit, quod iuuet: quod quale sit, eruditi iudicabunt. **RELIQUAS RES**; quas ab illo de statu reip. audies. **PROUIDENTIVS**; prouidentia periculum uitat, prouidentius igitur dixit, pro, maioris cautionis, possunt enim in alienas manus litterae peruenire. **VIDENTUR aliquae meae partes**; ut aliquid ego quoque tibi significem. **INGENII**; quod amorem conciliat, ut enim corpori ualetudo integra, color optimus, apta membrorum compositio, sic animo species quaedam, & pulchritudo ingenium est, omnis autem pulchritudo amorem conciliat. **OFFICIJ, humanitatis**; latius patet humanitas, quam officium. **GRATISSIMA**; ex quo intellexi, te bona fide mecum in gratiam redijisse. **CARVMVS**; ob inimicitias P. Clodij, Appij fratris, qui anno proximo perierat, a Milone, Ciceronis amicissimo, interfectus. **QUONIAM TU ITA UIS**; tibi placet officij coli amicitiam nostram: quod si tibi non placeret, facerem inuita Minerva, qui si efficies, ut idem tuis quoque propinquis placeat; (tacite Appium hortatur, ut reliquos Clodios, ob ueteres cum P. Clodio inimicitias infensos, sibi reconciliet) eandemq. Mineruam, quam abs te non inuitam habeo, ab ipso accipiam; ego plane hoc non Mineruae magis, quam tibi, referam acceptum, & iure eam non tam Pallada, ut uocatur, quam Appiada, de tuo nomine, nuncupabo. Iocum autem Cicero quaesiuit in nominibus similiter desinentibus. In Mediceo libro, Graecis litteris maiusculis, ΠΑΛΛΑΔΑ, scriptum est. **NON inuita Minerva**; feliciter, successu prospero, abiit in adagium, Inuita, uel non inuita Minerva aliquid facere. ep. 25. lib. XII. Causam tuam egi non inuita Minerva. **Offic. lib. I.** Nihil decet inuita, ut aiunt, Minerva. Et Horatius in Arte poetica: Tu nihil inuita dices, faciesue Minerva. **CILIX**; quod seruis nomen fuerat, idem liberti retinebant, licet praenomen etiam, & gentilicium nomen eius, quo liberabantur, assumerent. Cilix autem hic uocabatur, quia saepe a patria serui appellabantur, ut Aegyptia in ep. 13. lib. XVI. **PHANIAM**; ad te proficiscentem, cuius frui consuetudine, licet Cilicem habeam, ualde cuperem. ep. 13. lib. 2. **IURISCONSULTVM**; eundem antea Lentulo, Ciliciae proconsuli,

consuli, commodat ep. ult. lib. I. est autem is, de quo ep. XI. lib. VII. *SI NON est* } non est iocus a ueritate seiunctus. ep. ult. lib. I. *ALII S* } quorum causas recipit, nec optime defendit. *AGIT gratias* } quod humaniter eum tractes.

Salas Argumentum ep. 2.

Ciliciam prouinciam sortitus, rogat Appium, ut eam sibi quam maxime aptam, explicatamq. tradat; quo sit ei, cum successerit, facilior, & commodior administratio.

Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp. 2.

CVM & contra uoluntatem meam, & praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset: in multis, & uarijs molestijs, cogitationibusq. meis haec una consolatio occurrebat, quod neque tibi amicior, quam ego sum, quisquam posset succedere; neque ego ab ullo prouinciam accipere, qui mallet eam mihi quam maxime aptam, explicatamq. tradere. quod si tu quoque eandem de mea uoluntate erga te spem habes: ea te profecto numquam fallat. A te maximopere pro nostra summa coniunctione, tuaq. singulari humanitate etiam atque etiam peto, & quaeso, ut, quibuscumque rebus potes, (potes autem plurimis) proficias, & consulas rationibus meis. uides ex S. C. prouinciam esse habendam. si eam, quoad eius facere potueris, quam expeditissimam mihi tradideris: facilius erit mihi quasi decursus mei temporis. quid in eo genere efficere possis, tui consilij est. ego te, quod tibi ueniet in mentem mea interesse, ualde rogo. Pluribus uerbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem expectaret; aut id fieri nostra amicitia pateretur; aut res uerba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. hoc uelim tibi persuadeas, si rationibus meis a te prouisum esse intellexero, magnam te ex eo, et perpetuam uoluptatem esse capturum. Vale.

EXPLANATIO

CONTRA uoluntatem meam, } deposuit enim prouinciam consul: qua de re in ep. 2. lib. v. in ea uero ad Catonem lib. xv. Si quisquam, inquit, fuit umquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem sentire uideor, ratione, atque doctrina, ab inani laude, & sermonibus uulgi; ego profecto is sum. testis est consulatus meus: in quo, sicut in reliqua uita, fateor ea me studiosè secutum, ex quibus uera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se numquam putauì expetendam. itaque & prouinciam ornatam, & spem non dubiam neglexi. **CVM imperio** } duabus legibus dato, Cornelia a senatu, Curia a populo. **MOLESTIIS**, } confirmat illud, Contra uoluntatem meam. **QVAM ego sum**, } artificium petentis. uoluntatis enim optimae significatio parem elicit uoluntatem. **PRO nostra summa coniunctione**, } iure, Summa, dixit: quia coniungebantur & collegio, cum esset uterque augur, & beneuolentia, post gratiam reconciliatam. itaque dixit ep. sequenti, Successori coniunctissimo, & amicissimo. Et ep. 4. Collegij coniunctio non mediocrem uinculum mihi quidem attulisse uidetur ad uoluntates nostras copulandas. **POTES autem plurimis**, } habet ornamentum iteratio uerbi: ut ep. 5. lib. vi. Quotiescumque filium tuum uideo, (uideo autem fere quotidie) pollicor ei studium meum. uide illud, Si qui sunt, qui uelint, qui pauci sunt, ep. I. lib. I. **EX. S. C.** } decreuerat enim senatus, ut duas prouincias consulares, Syriam, & Ciliciam Bibulus, & Cicero sortirentur. Ciceroni Cilicia obtigerat. huius S. C. mentio fit ep. 7. & 13. lib. 2. & 7. lib. xv. hic autem lex non nominatur, quia lata nondum erat: sed lata paulo post. nominatur autem ep. 7. lib. xv. **QVOAD eius facere potueris**, } quantum in te erit. nota locutio. **QVASI decursus** } lenitur interdum translatio praeposito uerbo, Quasi, aut eiusmodi alio: quod Ciceronis, Demetrii, & alij aliorum libri ostendunt. **IN. EO genere** } uide illud, in eo genere, ep. I. lib. 2. **TUI consilij est**. } tu considerabis. Appij prudentiam, & simul modestiam suam, qui nihil petat nominatim, ostendit. **PLURIBVS uerbis** } clausula in primis efficax ad impetrandum. nam & ea nominat, quae mouere Appium debeant; & id ipsum tamen dissimulat, ne diffidere uideatur aut Appij uoluntati, aut prudentiae. **RES** } cum is, qui prouinciam successori tradit, operam omnino dare debeat, uel honoris sui, uel reip. causa, ut eam quam maxime aptam, explicatamq. tradat. **PRO. SE** } cur ego pro ipsa re plura dicam; cum satis ipsa pro se loquatur? patet enim, quid te in tradenda mihi, tui amantissimo, prouincia facere oporteat. **UOLUPTATEM esse capturum.** } cum officij me tui morem, gratumq. cognosces.

Argumentum ep. 3.

Significat se Brundisium uenisse; cum Fabio, Appij legato, locutum esse: antequam ab urbe discederet, nihil a senatu decretum, Sulpicio consule repugnante, ut suis, Bibulique legionibus in Italia supplementum scriberetur. Petit idem, quod in proxima epistola, ut Appius in tradenda provincia commodet sibi quam maxime potest, praecipue, ne numerum militum imminuat.

Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp. 3.

AD XI Kal. Iun. Brundisium cum uenissem, Fabius, legatus tuus, mihi praesto fuit, eaque ex tuis mandatis monuit, quae non modo mihi, ad quem pertinebant, sed uniuerso senatui uenerant in mentem, praesidio firmiter opus esse ad istam provinciam. censebant enim omnes fere, ut in Italia supplementum meis, & Bibuli legionibus scriberetur. id cum Sulpicius consul passurum se negaret; multa nos quidem questusumus; sed tantus consensus senatus fuit, ut mature proficisceremur, parendum ut fuerit: itaque fecimus. Nunc, quod a te petij litteris ijs, quas Romae tabellarijs tuis dedi, uelim tibi curae sit, quae successorij coniunctissimo, & amicissimo commodare potest is, qui provinciam tradit, ut ea, pro nostra constantissima uoluntate, cura, ac diligentia tua complectare: ut omnes intelligant, nec me beneuolentiori cuiquam succedere, nec te amiciori

potuisse provinciam tradere. Ex ijs litteris, quarum exemplum ad me misisti, quas in senatu recitari uoluisti, sic intellexeram, permultos a te milites esse dimissos; sed mihi Fabius idem demonstrauit, id te cogitasse facere, sed, cum ipse a te discederet, integrum militum numerum fuisse. id si ita est; pergratum mihi feceris, si istas exiguas copias, quas habuisti, quamminimim imminueris. quae de s. c. quae facta sunt, ad te missa esse arbitror. equidem pro eo quanti te facio, quidquid feceris, approbabo: sed te quoque confido ea esse facturum, quae mihi intelliges maxime esse accommodata. Ego C. Pontinium, legatum meum, Brundisij expectabam: eumque ante Kal. Iun. Brundisium uenturum arbitror. qui cum uenerit; quae primum nauigandi nobis facultas data erit, eo utemur. Vale.

EXPLANATIO

BRUNDISIUM } ubi duodecim amplius dies, & ualetudinis incommodo, & Pontinij, legati sui, expectatione commoratus est. ep. 8. lib. v. ad Att. **PRAESIDIO** } ob metum Parthici belli. **SUPPLEMENTVM** } ut ad binas legiones, quas & Cicero, & Bibulus habuit, copiae adderentur. **BIBULI** } cui Syria obtigerat, post Crassum a Parthis interfectum. **LEGIONIBVS** } Plutarchus, cum Cicerone in Ciliciam iusse narrat duodecim millia peditum, duo millia, & sexcentos equites. quamquam in equitum numero suspicor esse mendum. non enim cum duabus legionibus tantus uidetur equitatus esse potuisse. nisi si sexcenti Romani, reliqui omnes auxiliarij, extra ordinem, metu scilicet Parthici equitatus: qui post Crassi necem, imminere Romanis provincijs uidebatur. **SULPICIVS consul** } Ser. Sulpicius Rufus, ex tribu Lemonia, iuris ciuilibus cognitione excellens; cuius praeclaram habemus epistolam, qua Ciceronem consolatus est, lib. iv. **PASSVRVM se negaret**; } ne exhauriretur militibus Italia, si forte delectum nouarum copiarum tempora reip. postulerent. **MULTA questusumus**; } ego, & Bibulus. notandum loquendi genus. sic alibi, Multa peccas. & Multa deos uenerati, dixit Caecina ep. 7. lib. vi. **TABELLARIIS** } Tabellarij dicti a tabellis codicillorum, quod eas ultro citroque ferrent ante chartae & membrarum usum: ut librarij a libris arborum, in quibus epistolae scribebantur. beatus Hieronymus ep. 42. ad Niceam. **CONIUNCTISSIMO**; } non refertur ad beneuolentiam. quorsum enim proxime subiunxisset, Et amicissimo? sed ad adiunctionem auguratus; quae alterum alteri non leuiter commendabat. Sed, quia fieri poterat, ut, qui simul augures essent, inter eos tamen amor non esset; ideo intulit, & amicissimo: ut se non solum collegij iure, uerum etiam beneuolentia coniunctum Appio significaret. **PRO nostra constantissima uoluntate**; } sic quinque libri ueteres: duo, & Mediceus, Pro nostra consociatissima. ut uoluntas utriusque, post reditum in gratiam consociatissima dicatur. Sin, Constantissima, retinemus: utriusque parem in constantia uoluntatem, quae post reditum in gratiam officiis mutuis declarata fuerat, significari credamus. quam sententiam confirmat illud ep. 13. lib. 2. Ego Appium ualde diligo: meque ab eo diligi statim coeptum esse, ut similitate deposuimus, sensi. nam & honorificus in me consul fuit, & suauis amicus, & studiosus studiorum etiam meorum. mea uero officia ei non defuisse, tute es testis. Constantiam suam infra quoque, ep. 9. Cicero nominat. Quod quisque magis probat, id sequatur. **INTEGRVM** } ab esse tamen tres cohortes com-

tes comperit. mendax igitur Fabius: uerae autem Appii ad senatum litterae de militibus dimissis. ep. 6. S. C. 3 de non imminuendis copiis. C. PONTINIUM, *legatum* } praetorium, ac triumphalem. hunc Περ-
πτινον, & Περπτινον Graeci libri nominat: ex Latinis alii Pomptinum, alij Pomitinū, nonnulli, quos secutus
sum, Pontinium: ut inter Romanas gentes, quae in ius desinebant, agnoscat. Ciceronis, Ciliciae
proconsulis, quaestores fuere L. Mescinius, Cn. Volusius, C. Coelius; legati, Q. Cicero, eius frater, C.
Pontinius, M. Anneius, L. Tullius, tribunus mil. Q. Fufidius; praefectus euocatorum, Antonius; praefe-
ctus fabrum, Q. Lepta; scriba, M. Tullius; accensus, Pausanias; interpret, M. Marcilius. de quaestore
Mescinio, ep. 19. & 20. lib. 5. ep. 26. lib. XIII. ep. 6. lib. XVI. De Volusio, ep. XI. lib. V. ad Att. De Coe-
lio, qui paucis diebus ante, quam Cicero decederet, in prouinciam uenit, ep. 19. lib. 2. & ad Att. ep. 5. lib. VI.
De legatis, ep. 4. lib. XV. De tribuno mil. ep. 12. lib. XIII. De praefecto euocatorum, ep. 6. h. lib. De praef-
ecto fabrum, ep. 7. h. lib. De scriba, ep. 20. lib. V. De accenso, ep. 7. h. lib. De interprete, ep. 54. lib. XIII.

Argumentum ep. 4.

EXspectari a se scribit L. Clodium cum Appij mandatis. suum studium,
atque officium in omnibus rebus pollicetur. causas, quibus ad eum dili-
gendum adducatur, commemorat. Negotiale principium, reliqua fe-
re moralia.

Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp. 4.

PRIDIE non. Iun. cum essem Brundisii, litteras
tuas accepi; quibus erat scriptum, te L. Clodio
mandasse, quae illum mecum loqui uelles. eum sane ex-
spectabam, ut ea, quae a te afferret, quamprimum co-
gnoscerem. Meum studium erga te, & officium tamen si
multis iam rebus spero tibi esse cognitum, tamen in ijs
maxime declarabo, quibus plurimum significare potue-
ro, tuam mihi existimationem, & dignitatem caris-
simam esse. Mibi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flac-
cus L. F. & diligentissime M. Octavius Cn. F. demon-
strauit, me a te plurimi fieri: quod egomet multis argu-
mentis iam antea iudicaram, maximeq. illo libro augu-
rali, quem, ad me amantissime scriptum, suauissimum

misi. mea in te omnia summa necessitudinis officia con-
stabant. nam cum te ipsum, ex quo tempore tu me di-
ligere coepisti, quotidie pluris feci: tum accesserunt etiam
coniunctiones necessariorum tuorum. duos enim dua-
rum aetatum plurimi facio, Cn. Pompeium, filiae
tuae socerum, & M. Brutum, generum tuum. colle-
gijq. coniunctio, praesertim tam honorifice a te approba-
ta, non mediocri uinculum mihi quidem attulisse ui-
detur ad uoluntates nostras copulandas. Sed, si Clo-
dium conuenero; ex illius sermone ad te scribam plura;
& ipse operam dabo, ut te quamprimum uideam. Quod
scribis, manendi tibi causam eam fuisse, ut me conue-
nires: id mihi, ne mentiar, gratum est. Vale.

EXPLANATIO

CLODIO } praefecto fabrum .ep. 8. **M**EVUM studium erga te, & officium, } studio uoluntas, of-
ficio res ipsa declaratur. **Q. FABIVS** } Fabiam gentem a Fabio, Herculis filio, dictam, ait Plu-
tarchus. id probare uidetur Festus: apud quem scripta sunt haec: Foui, qui nunc Fabii dicuntur, di-
cti, quod princeps gentis eius ex ea natus sit, cum qua Hercules in fouea concubuit. Deinde subiungit: Alii
putant eum primū ostendisse, quemadmodū urfi, & lupi foueis caperentur. **VIRGILIANVS**, } a Virgilij in
Fabios adoptionis iure trāsterat. **FLACCVS** } Valeriorū cognomen. **M. OCTAVIVS. CN. F.** } qui hoc anno
aedilitatē curulē cum M. Coelio petiit. ep. 2. lib. IIX. **LIBRO augurali**, } de augurum disciplina scripto: de
quo fit mentio ep. 9. & XI. & apud Festum. **AMANTISSIME** } amore enim adductus uidebatur, ut eum
librum ad Ciceronem scripserit. **MISISTE**, } unum Appius miserat, reliquos missurum se pollicitus
erat. ideo ep. 9. Velim, quod reliquum est promissi, ac muneris tui, mihi perfoluas. Et ep. XI. cum
scripsisset Appius, confecisse iam se reliquos libros, ac missurum; respondit Cicero: Augurales libros ad
commune utriusque nostrum otium serua. **SUMMA necessitudinis officia** } quae summa esse possunt no-
strae coniunctionis officia. Placeret, Summae necessitudinis. **CONSTABUNT**, } non obscura erunt,
sed patebunt. ep. sequenti. & 34. lib. X. **EX QVO tempore** } depositas ab Appio, & Cicerone inimici-
tias iam ante P. Clodij necem, atque adeo ante Appij consulatum, indicat ep. 10. & lib. 2. ep. 13. & oratio
pro Milone. **DVARVM aetatum** } senescente iam Pompeio, Bruto iuvene. utrumque cum laude no-
minat ep. XI. **FILIAE tuae socerum**, } duo Pompeii filii fuere, Cnaeus, & Sextus. Appii generum
puto Cnaeum fuisse, nam Sexti coniugem Libonis filiam apud Dionem inuenio. **GENERVM tuum**, }
postea Porciam, Caetonis Vticensis, auunculi sui, filiam, duxit uxore, Appij filia dimissa: quod ex epistolis
ad Atticum intelligitur. **COLLEGII** } cum augur uterque esset. ep. 13. lib. 2. **HONORIFICE a**

Q 2 te appro-

te approbata, } scripto ad me augurali libro, ep. 9. & XI. NON mediocre uinculum } apud maiores enim nō modo amicitiam uiolari fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. ep. 10. NE mentiar, } licet nihil te, mea causa, contra commodum tuum uelim facere.

Argumentum ep. 5.

Agit Appio gratias, quod operam dederit, ut sibi quam maxime expeditam prouinciam traderet: deinde rationem exponit itineris sui; quo certius de congressu statuere Appius possit.

Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp: 5.

TRALLES ueni ad VI. Kal. Sext. ibi mihi praesto fuit L. Lucilius cum litteris, mandatisque tuis: quo quidem homine neminem potuisti nec mihi amiciorē, nec, ut arbitror, ad ea cognoscenda, quae scire uolebam, aptiorem, prudentiorem ne mittere. ego autem & tuas litteras legi libenter, & audiui Lucilium diligenter. Nunc, quoniam & tu ita sentis; (scribis enim, quae de nostris officijs ego ad te scripserim, etsi ea incunda fuerunt, tamen, quoniam ex alto repetita sint, non necessaria te putasse) & reuera, confirmata amicitia, & perfecta fide, commemoratio officiorum superuacanea est: eam partem orationis praetermittam, tibi tamen agam, ut debeo, gratias. animaduerti enim, & didici ex tuis litteris, te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres, restitueresque, & praeparares quodam modo omnia, quo mea ratio facilior, & solutior esse posset. hoc tuū officium cum mihi gratissimum esse dicam; sequitur illud, ut te existimare uelim mihi magis curae fore, atque esse iam, primum ut ipse tu, tuique, omnes, deinde etiam ut reliqui scire possint, me tibi esse amicissimum. quod quibus adhuc non satis est perspectum, ij mihi nolle magis hoc animo nos esse, quam non intelligere uidentur. sed profecto intelligent. neque enim obscuris personis, nec paruis in causis res agetur. sed hoc fieri melius, quam dici, aut scribi, uolo. Quod iterum meorum ratio te non nullam in dubitationem uidetur adducere, uisurus ne me sis in prouincia; ea res sic habet. Brundisij cum loquerer cum Phania, liberto tuo, ueni in eum sermonem, ut dicerem me libenter ad eam partem prouinciae primum esse uenturum, quo te maxime uelle arbitrarer. tunc mihi ille dixit, quod classe

tu uelles decedere, perfore accommodatum tibi, si ad Sidam, maritimam partem prouinciae, nauibus accessissem. dixi me esse facturum: itaq. fecissem, nisi mihi L. Clodius noster Coreyrae dixisset, minime id esse faciendum: te Laodiceae fore ad meum aduentum. erat id mihi multo breuius, multoq. commodius, cum praesertim te ita malle arbitrarer. tua ratio postea est commutata. nunc, quid fieri possit, tu facillime statues. ego tibi meum consilium exponam. Pridie Kal. Sext. puro me Laodiceae fore; ubi per paucos dies, dum pecunia accipitur, quae mihi ex publica permutatione debetur, commorabor, deinde iter faciam ad exercitum: ut circiter idus Sext. putem me ad Iconium fore. sed, si quid nunc me fallit in scribendo; (procul enim aberam ab re ipsa, & locis) simul ac progredi coepero, quam celerrimis potero, & quam creberrimis litteris faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum, atque itinerum meorum. oneris tibi imponere nec audeo quidquam, nec debeo: sed, quod tuo commodo fieri possit, utriusque nostrum magni interest, prius ut te conueniam, quam decedas. quam facilitatem si quis casus eriperit; mea tamen in te omnia officia constabunt non secus, ac si te uidissem. Tibi de nostris rebus nihil sum ante mandaturus per litteras, quam desperaro, coram me tecum agere posse. Quod te a Scaenola petuisse dicis, ut, dum tu abesses, ante aduentum meum prouinciae praesesset: eum ego Ephesi uidi; fuitq. mecum familiariter triduum illud, quod ego Ephesi commoratus sum; nec ex eo quidquam audiui, quod sibi a te mandatū diceret. sane uellem potuisse obsequi uoluntati tuae: non enim arbitror uoluisset. Vale.

EXPLANATIO

TRALLES } urbem Lydiae. NEMINEM potuisti } captat beneuolentiam ab Appij prudentia. EX ALTO repetita } haec Ciceronis litterae non exstant. CONFIRMATA } mutuis officijs. FIDE, } fidem nominat, quia redierant in gratiam. ep. 8. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse; non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam. UT MIHI consuleres, } ut mihi expeditam prouinciam traderes. MEA ratio } meum prouinciale munus, totum negotium, quod ad prouinciam pertinet. SOLVTIOR } sine impedimento. sic ep. 9. lib. 1. Si mihi essent omnia solutissima: pro, si meam uoluntatem nulla res impediret. Quod autem hic dixit, Mea ratio facilior, ac solutior, ep. 2. Facilior erit quasi decursus mei temporis. SEQUITUR illud, } nam apud bonos uiros gratia gratiam parit. QUIBUS adhuc } post reconciliationem resident nonnumquam ueteris odij reliquiae, praesertim si grauiore in iuriae antecesserint, quales a P. Clodio, Appij fratre, Cicero tulerat. ideo suspicari poterant homines, non esse Appio Cicronem amicissimum. ep. 8.

NEQUE

NEQUE ENIM obscuris personis, } cum Cicero, & Appius consulares, aiguralesq. essent. clarus
igitur uterque. translatio a fabulis, in quibus ueterum heroum, aut regum, idest non obscuras, sed il-
lustres personas histriones sustinebant. IN. CAUSSIS } in negotijs. dixi, Caussam id saepe appel-
lari a Cicero, quod proprie ad aliquem pertinet. unde illud ep. I. lib. I. In caussa haec sunt. TVN C
mibi ille dixit, quod classe tu uelles decedere, } sic locutus ep. 28. lib. VII. Memini, quod mihi desipere ui-
debare. Aut distingue sic: Tunc mihi ille dixit: quod classe tu uelles decedere, perfore accommodatum tibi,
&c. ut sit, Quod, pro quia. AD. SIDAM, } praeposit Ad, cum sit loci nomen proprium, ut ep. 3.
lib. III. Ad Capuam, ad Luceriam. Sed hunc locum ex epistola sequenti, in qua Sida nominatur, aliquis
fortasse mutauit. nam libri ueteres, etiam Mediceus, habent, Ad illam. quod ferri potest. LAODI-
CEAE } uide, quae diximus ep. 17. lib. 2. AD. MEVM aduentum. } usque ad meum aduentum.
TVA ratio } ratio non est uoluntas, non negotium, non consuetudo, non consilium: quid igitur?
unico uerbo non satis uidetur explicari posse: hic quidem, Tua ratio postea est commutata, ua-
let, mutasti quod te facturum ostenderas: non eadem fuit sententia tua. Tale illud ep. 8. Mea ratio in
tota amicitia nostra constans, & grauis reperitur. Vide, quae diximus in eo loco, Mea ratio fuit alia,
ep. 9. lib. I. PRIDIE Kal. Sext. puto } non errauit. nam eo die Laodiceam peruenit. ep. seq. &
ad Atticum ep. 16. lib. v. MIHI debetur, } uel in prouincia commoda, uel in annum ipsius ui-
ctum, uel in stipendia militum eroganda. AD. EXERCITVM: } quem Appius reliquerat, cuius
mentio fit ep. 2. Sic ad Att. ep. 15. lib. v. Iter Laodicea faciebam ad III. non. Sext. in castra in Lycaoniam,
Quamquam, si Plutarcho credimus, duas legiones Cicero ipse in Ciliciam transiecit. AD Iconium }
in Lycaonia, ubi erat exercitus. ep. sequenti, & 4. lib. xv. ad Att. & 15. lib. v. FALLIT } de itine-
ris ratione. AB. RE ipsa, } ab ipso negotio: quo fortasse diutius impediatur, quam ut possim circi-
ter idus Sext. ad Iconium esse. ONERIS sibi imponere nec audeo quidquam, &c. } non potuit neque
uerecundius petere, neque uehementius. QVOD tuo commodo fieri possit, } de hoc loquendi more sa-
tis diximus ep. I. lib. I. MAGNI interest, } ut colloquerentur de utriusque institutis in regenda
prouincia, in quibus, quod & haec ad ipsum Appium, & ad Atticum epistolae declarant, non idem uter-
que sensit. SI. QVIS casus } retinet modestiam suam: quod enim de Appij uoluntate suspicatur,
id in casum confert. CONSTABUNT } sic locutus epistola proxima. SCAEVOLA } Muciae
gentis cognomen. hic uel Appij legatus, uel quaestor in prouincia fuerat. VELLE potuisse obsequi }
sic antiqui omnes libri, non Potuisset: quod est in impressis. nihil igitur mutandum, cum alibi quoque sic
locutus Cicero sit. ut ep. I. lib. VII. Vellem a principio te audisse amicissime monentem. & ep. XI.
lib. III. Vellem tecum fuisse.

Argumentum ep. 6.

Ostendit congressum a se expetitum, ab Appio uitatum: se tamen ei fore
amicissimum: quaedam addit de suo itinere, ut Appius constituat,
quo loco eum conuenire possit.

Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp. 6.

CVM meum factum cum tuo comparo; etsi non
magis mihi faueo in nostra amicitia tuenda, quam
tibi; tamen multo magis meo facto delector, quam tuo.
Ego enim Brundisij quaesui ex Phania, cuius mihi ui-
debar & fidelitatem erga te perspexisse, & nosse locum,
quem apud te is teneret, quam in partem prouinciae
maxime putaret te uelle ut in succedendo primum ue-
nirem. cum ille mihi respondisset, nihil me tibi gra-
tius facere posse, quam si ad Sidam nauis egressus: etsi mi-
nus dignitatis habebat ille aduentus, et ad multas res
mihi minus erat aptus; tamen me ita dixi esse facturum.
Idem ego, cum L. Clodium Corcyrae conuenissem, ho-
minem ita tibi coniunctum, ut mihi, cum illo cum loque-
rer, tecum loqui uiderer. dixi ei me ita facturum esse, ut
in eam partem, quam Phania rogasset, primum ueni-
rem. tunc mihi ille cum gratias egisset, magnopere a me
petiuit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima prou-
incia uelle esse, ut quamprimum decederes: quin, nisi
ego successor essem, quem tu cuperes uidere, te antea,

quam tibi successum esset, decessurum fuisse. quod qui-
dem erat consentaneum cum ijs litteris, quas ego Ro-
mae acceperam; ex quibus perspexisse mihi uidebar,
quam festinares decedere. Respondi Clodio, me ita esse
facturum, ac multo quidem libentius, quam si illud es-
set faciendum, quod promiseram Phaniae. itaque &
consilium mutauit; & ad te statim mea manu scriptas
litteras misi; quas quidem, ex tuis intellexi, satis ma-
ture ad te esse perlatas. Hoc ego meo facto ualde dele-
ctor. nihil enim potuit fieri amantius. considera nunc ui-
cissim tuum. Non modo ibi non fuisti, ubi me quamprimum
uidere posses; sed eo discessisti, quo ego te ne persi-
qui quidem possem triginta diebus, qui tibi ad deceden-
dum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent: ut tuum
factum illis, qui, quo animo inter nos simus, ignorant,
alieni hominis, ut leuissime dicam, & fugiens con-
gressum, meum uero coniunctissimi, & amicissimi, esse
uideatur. Ac mihi tamen ante, quam in prouinciam
uenirem, redditae sunt a te litterae: quibus etsi te Ter-
sum

sum proficisci demonstrabas; tamen mihi non dubiam spem mei conueniendi asserabas; cum interea, credo equidem maleuoli homines, (late enim patet hoc uitium, & est in multis) sed tamen probabilem materiem nacti sermonis, ignari meae constantiae conabantur alienare a te uoluntatem meam; qui te forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, iudicare dicerent: cum posses iam suspicari, tibi esse successum: quae ab ijs quidem fieri solerent, qui breui tempore sibi succedi putarent. Horum ego sermone non mouebar: quin etiam, (credas mihi uelim) si quid tu ageres, leuari me putabam molestia: & ex annua prouincia, quae mihi longa uideretur, prope iam undecim mensium prouinciam factam esse gaudebam, si absentem mihi unius mensis labor detractus esset. Illud, uere dicam, me mouet, in tanta militum paucitate abesse tres cohortes, quae sint plenissimae; nec me scire ubi sint. Molestissime autem fero, quod, te ubi uisurus sim, nescio; eoq. ad te tardius scripsi, quod quotidie te ipsum exspectabam: cum interea ne litteras quidem ulla

accepi, quae me docerent, quid ageres; aut ubi te uisurus essem. itaque uirum fortem, mihiq. in primis probatum, Antonium, praefectum euocatorum, misi ad te, cui, si tibi uideretur, cohortes traderes: ut, dum tempus anni esset idoneum, aliquid negotij gerere possem, in quo, tuo consilio ut me sperarem esse uisurus, & amicitia nostra, & litterae tuae fecerant: quod ego ne nunc quidem despero. sed plane, quando, aut ubi te uisurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum. Ego, ut, me tibi amicissimum esse, & aequi & iniqui intelligant, curabo, de tuo in me animo iniquus secus existimandi uideris non nihil loci dedisse. id si correxeris, mihi ualde gratum erit, & ut habere rationem possis, quo loco me, salua lege Cornelia, conuenias: ego in prouinciam ueni pridie Kal. Sext. iter in Ciliciam facio per Cappadociam. castra moui ab Iconio pridie Kal. Sept. nunc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, si putabis me esse conueniendum, constitues, quo loco id commodissime fieri possit, & quo die. Vale.

EXPLANATIO

NON magis mihi faueo } non minus a te, quam a me ipso, praestari amicitiae nostrae ea, quae debentur, officia cupio. **MEO FACTO** } quod a me factum est, ut te conuenirem antequam decederes. **QUAESIVI ex Phania,** } ep. 5. **NOSSE locum,** } honestiorem scilicet, quam reliqui liberti. **IN . PRIMA prouincia** } dixi iam, primam urbem prouinciae Laodiceam fuisse. ep. proxima. **UBI me quamprimum uidere posses;** } ut Laodiceae, idest in prima prouincia: quod L. Clodius dixerat, mos enim fuit, ut ij, qui decedebant, successorem exspectarent in prima prouincia. Ad Att. ep. 26. lib. XII. **EO discessisti,** } in ultimam prouinciam: de quo sic ep. 16. lib. v. ad Att. Appius, ut audiuit nos uenire, in ultimam prouinciam se coniecit, Tarsum usque, ibiq. forum agit. & ibidem ep. sequenti. **AD decedendum** } lex Cornelia, L. Sullae dictatoris, concedebat rectoribus prouinciarum, ut per triginta dies post successoris aduentum in prouincia morari possent. **ALIENI** } non amici, nulla necessitudine coniuncti. **TARSVM** } in Ciliciam, in ultimam prouinciam: quod dixit ep. 16. lib. v. ad Att. **ET . EST in multis,** } abest hoc a meo uetere libro: & sane glossema esse potuit antecedentium uerborum. **FORVM agere,** } ius dicere. ep. 8. & ad Att. ep. 16. lib. v. & Festus. **SUCCEDI** } pro, successum iri. unus antiquus liber, Succedere. **ABSENTI mihi** } cum tu, absente me, Tarsi forum ageres. Non dicit, Absenti, a prouincia, cum in eam iam uenisset, quod supra, in frag. ostendit: sed absentem ab eo loco, ubi forum Appius agebat. **DETRACTVS** } tua iurisdictione Tarsensi. **PAVCITATE** } exiles legiones uocat ep. 15. lib. v. ad Att. **ABESSE tres cohortes,** } facta seditione, quinque nominat ep. 4. lib. xv. Cum, inquit, ante aduentum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus; quinque cohortes sine legato, sine tribuno mil. denique etiam sine centurione ullo apud Philolum confedisissent; reliquus exercitus esset in Lycaonia: M. Annicio legato imperaui, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum ducerent. Cohortem ex pluribus manipulis constare, ait Varro lib. IV. in ea fuisse homines quingentos, Valerio Max. Plutarcho, Caesare, Appiano, testibus probatur. nam Valerius duas Camertum legiones a C. Mario ciuitate donatas, Plutarchus mille Camertes ait. Iam Caesar lib. III. bel. ci. cum dixisset: Cohortes CX. expleuerat; subiunxit: Haec erant millia LX. Idem pugna Pharsalica quarta in aciem ex sex cohortibus constituit: quod Plutarchus in Caesare confirmat: at eos fuisse tria millia, & idem Plutarchus in Pompeio, & Appianus quoque plane narrat. Postea, re militari commutata, sexcentos in cohorte uideo fuisse: nam Cincius apud Gellium legionem ex centurijs sexaginta, cohortibus decem constituit. **NE . LITTERAS quidem ulla** } cum te quotidie exspectarem; tantum tamen abest, ut ipse ueneris, ut ne litteras quidem ulla a te acceperim. Hic non uideo, cur mutari quidquam necesse sit. **EUOCATORVM,** } milites erant emeriti, subito ex agris in militiam euocati: quos Cicero ex S. C. in prouincia contraxerat: ut ep. 4. lib. xv. Crafinum euocatum in prima acie contra Pompeianos procurrentem nominat Caesar lib. III. bel. ci. Euocatos etiam Antonius habuit in Mutinensi certamine, ep. 30. lib. x. & Octavianus, Dio lib. XLV. **COHORTES** } quas secum Appius habebat. nam exercitus uniuersus erat in Lycaonia, unde abesse dixit tres cohortes ep. 15. **ALIQUID negotij gerere** } contra sempiternos hostes Amanicenses. ep. 10. lib. 2. & 4. lib. xv. & ad Att. ep. 19. lib. v. **LITTERAE tuae** } in quibus, cupere se cum Cicero congrederi, scripserat Appius. **SECUS** } male, secus ac uellem. sic, Aliter, usurpabant, ut lib. 2. de rep. apud Gellium, Cum ad uillam uenisset, & omnia aliter offendisset. **LOCI** } occasionis. **CORREXERIS,** } aliquo in me officio. **SALUA lege** } quae ultra dies triginta, post successoris aduentum, non permittebat in prouincia permanere. **PRIDIE Kal. Sext.** } sic ep. 2.

ep. 2. 4. lib. xv. & ad Att. ep. 16. lib. v. IN : CILICIAM } a Laodicea in Ciliciam . ep. 4. lib. xv.
 PER Cappadociam . } nam & alia erat, eaq. breuior, in Ciliciam uia : quam cur omiserit, exponit.
 ep. 4. lib. xv.

Argumentum ep. 7.

Querellam Appij refellit : contraq. ipse queritur, & extollit uirtutem
 contra inanem arrogantiam nobilitatis : se tamen ei fore amicissimum
 confirmat.

Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro imp. 7.

PLVRIBVS uerbis ad te scribam, cum plus otij
 nactus ero. haec scripsi subito, cum Brui pueri Lao
 diceae me conuenissent, & se Romam properare dixif-
 sent. itaque nullas ijs, praeterquam ad te, & ad Bru-
 tum, dedi litteras. Legati Appiani mihi uolumen a te
 plenum querellae iniquissimae reddiderunt, quod eorum
 aedificationem literis meis impedissem: eadem epistola
 petebas, ut eos quam primum, ne in hiemem incideret, ad
 facultatem aedificandi liberarem: et simul peracute que-
 rebare, quod eos tributa exigere ueretur prius, quam ego,
 re cognita, permissem: genus enim quoddam fuisse imp-
 pediendi, cum ego conoscere non possem, nisi cum ad hie-
 mem me ex Cilicia recepissem. ad omnia accipe, & cogno-
 sce aequitatem expostulationis tuae. Primum, cum ad me
 aditum esset ab ijs, qui dicerent a se intolerabilia tributa
 exigi: quid habuit iniquitatis, me scribere, ne facerent an-
 te quam ego rem, causamq. cognoscerem? Non poteram,
 credo, ante hiemem, sic enim scribis. Quasi uero ad co-
 gnoscendam ego ad illos, non illi ad me uenire debue-
 rint: tam longe inquis? quid? cum dabis ijs litteras, per
 quas mecum agebas, ne eos impedire, quo minus ante hie-
 mem aedificarent; non eos ad me uenturos arbitrabare?
 tamen si id quidem fecerunt ridicule. quas enim litteras
 afferebant, ut opus aestate facere possent; eas mihi post
 brumam reddiderunt. Sed sciro & multo plures esse,
 qui de tributis recusent, quam qui exigere uelint; & me ta-
 men, quod te uelle existimem, esse facturum. De Appia-
 nis haecenus. A Pausania, Lentuli liberto, accenso meo,
 audini, cum diceret, te secum esse questum, quod tibi ob-
 uiam non prodixissem. Scilicet contempsit te: nec potest fie-
 ri me quidquam superbius. Cum puer tuus ad me secun-
 da fere uigilia uenisset; isq. te ante lucem Iconium mi-
 hi uenturum nunciasset: incertumque, utra uia, cum es-
 sent duae; altera Varronem, tuum familiarissimum, al-
 tera Q. Leptam, praefectum fabrum meum, tibi obuiam
 misi: mandauit utrique eorum, ut ante ad me excurrer-
 ent, ut tibi obuiam prodire possem, currens Lepta ue-
 nit; mihiq. nunciavit, te iam castra praetergressum esse.
 confestim Iconium ueni. cetera iam tibi nota sunt. An

ego tibi obuiam non prodirem? primum Appio Claudio?
 deinde imperatori? deinde more maiorum? deinde, quod
 caput est, amico? praesertim cum in isto genere multo
 etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus, &
 dignitas postulet. Sed haec haecenus. Illud idem Pau-
 sania dicebat te dixisse: (quid nix?) Appius Lentulo, Len-
 tulus Appio processit obuiam: Cicero Appio noluit?
 Quaeso, etiam ne tu has ineptias, homo, mea senten-
 tia, summa prudentia, multa etiam doctrina, pluri-
 mo rerum usu, addo urbanitatem, quae est uirtus, ut
 Stoici rectissime putant, ulla Appietatem, aut Len-
 tulitatem, ualere apud me plus, quam ornamenta
 uirtutis, existimas? cum ea consecutus nondum eram,
 quae sunt hominum opinionibus amplissima; tamen ista
 uestra nomina numquam sum admiratus; uiros eos, qui
 ea uobis reliquissent, magnos arbitrabar. postea uero
 quam ita & accepi, & gessi maxima imperia, ut mihi
 nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum
 putarem; superiorem quidem numquam, sed parem uo-
 bis me speraui esse factum. nec mehercule aliter uidi exi-
 stimare uel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui umquam
 fuerunt, uel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono. tu
 si aliter existimas; nihil errabis, si paullo diligentius,
 (ut, quid sit εὐχέλεια, quid sit nobilitas, intelligas) Athe-
 nodorus, Sandonis filius, quid de his rebus dicat, atten-
 deris. Sed, ut ad rem redeam, me tibi non amicum mo-
 do, uerum etiam amicissimum existimes uelim. profecto
 omnibus meis officijs efficiam, ut ita esse uere possis iudi-
 care. tu autem si id agis, ut minus mea causa, dum ego
 abs sum, debere uidearis, quam ego tua laborarim; libero
 te ista cura.

ἢ παρ' ἐμοί γε ἢ ἄλλοι,

οἰκέ με τιμήσουσι, μάλα δὲ μάλιστα εὖς.

sim autem natura es φιλάτιος; illud non perficies, quo
 minus tua causa uelim: hoc assequere, ut, quam in par-
 tem accipias, minus laborem. Haec ad te scripsi libe-
 rius, fetus conscientia officij mei, beneuolentiaeq.
 quam, a me certo iudicio susceptam, quoad tu uoles, con-
 seruabo. Vale.

EXPLANATIO

CICERO. IMP. } sic est inscribendum, non, procos. Scripsit enim, ut ipse ait, hanc epistolam Lao-
 diceae: quo se contulit aestiuis confectis, id est Amaniensibus uictis, qua uictoria imperator appella-
 tus est, & Pindenissis capto. fuit autem Laodiceae a III. id. Febr. usque ad non. Maij: quod ep. 11. lib. VI.
 ad Att. ostendit. LEGATI Appiani } quos monumentum exstruere ad Appij laudem cupientes Cice-
 ro impe-

ro impe-

ro impediatur. ep. 9. Appianos populos in conuentu Synadensi Plinius lib. ix. cap. 29. nominat. Alij sunt autem legati, de quibus ep. 8. illos enim queritur Appius prohibitos esse ire Romam ad se laudandum, horum autem aedificationem impeditam. **VOLUMEN** litteras Volumen appellat, non quod inuolutae clauderentur, (plicabantur enim epistolae, inuoluebantur autem libri) sed quod earum longitudo speciem uoluminis efficeret. itaque subiecit, (ut unas litteras hic uolumen appellari constet) Eadem epistola petebas. sic ep. 30. lib. xii. Non te epistolis, sed uoluminibus lacefferem. pro, ita longis, ut uoluminum instar essent. Alibi uero epistolarum uolumina nominat, quia descriptae multae, circa lignum essent inuolutae. ad Att. ep. 9. lib. ix. Euolui uolumen epistolarum tuarum. Ad Tironem, ep. 17. lib. xvi. Tuas epistolas uis referri in uolumina. Et Tusculanas quaestiones uolumina appellat: Plinius quoque suos nat. hist. libros, uolumina: Ouidius quindecim libros Metamorphoseos, ter quinque uolumina. Umbilicos ligna illa, quae uoluminibus absolutis adderentur, ideo dicta, quod umbilici nostri formam imitarentur, Porphyrio scriptum reliquit. inde natum, ad umbilicum ducere, pro absolueret: quod Horatius de suis iambis dixit: peruenire ad umbilicum, Martialis. Huiusmodi autem umbilicos non modo ligneos, uerum etiam osseos, corneos uel ornamentis gratia interdum fuisse, idem Porphyrio auctor est: pingi etiam solitos, Martialis. Extremae partes, quod, extra uolumen eminentes, cornutum similitudinem praeserferrent, cornua uocabantur: quibus ornamentum aliquod addi solitum, ostendit Ouidius, cum librum suum elegia prima Tristium sic alloquitur: Candida nec, nigra, cornua, fronte, geras. Nec geras candida cornua, quae fortunae sunt indicia laetioris, cum sit atrata frons, qualem in calamitate nostra decet esse. Est enim frons libri, exterior uoluminis pars: frontes uero cum appellantur, exterior, & interior: itaque dixit idem proximo superiore uersu, Nec fragili geminae poliantur pumice frontes. Et Catullus: Cui dono lepidum nouum libellu, Arida modo pumice expolitu? Martialis quoque pumicatam libri frontem dixit lib. i. **AEDIFICATIONEM** templum, opinor, Appio erigere uolebant, ut optime de rep. merito. **PERACUTE** excogitasti enim, quod a me cogitatum non est. **TRIBUTA** quibus Appio monumentum exstruerent. **RECEPISSEM** in Asiam. nam, cum in prouinciam uenisset, a Laodicea in Ciliciam profectus est. ibi pugnavit cum Amaniensibus, Pindenissumque cepit. mox, aeftiuus iam confectis, Laodiceam in Asiam redijt: unde rursus ad absoluendam iurisdictionem Tarsum in Ciliciam iuit. **AEQVITATEM** ironia. **TRIBUTA** quae ciuitates imponebant, ut collecta pecunia aedificaret. **NON poteram** rem, causamque cognoscere. **AD ME** in Ciliciam: ut ibi de toto negotio cognoscerem. **LIBERTO**, accensum munus libertis deferri solitum, indicat epistola 16. ad Att. lib. i. v. in qua Antiochus Gabinius quidam, A. Gabinij libertus, & accensus nominatur. & ep. 1. lib. i. ad Q. fratrem. **ACCENSO meo**, apparitorum multa genera, inter quos accensi quoque erant, dicti, quod saepius ad necessarias res accirentur, ut ait Varro. **AUDIUI, cum diceret**, sic lib. 2. de Orat. Saepe ex socio meo audiui, cum is diceret, socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari. **VIGILIA** nox in tres uigilias, & in quaternas horas uigiliae diuidebantur. **FABRVM** qui exercitum sequebantur, ut administrarent quae ad bellum necessaria uiderentur. Fabrum autem, non, Fabrorum, probasse Cicero uidetur. de quo sic in Oratore: Iam, ut censoriae tabulae loquuntur, fabrum, & procum, audeo dicere, non fabrorum, & procorum. **AP. Claudio** patriciae gentis, consulari, augurali, opibus, ingenio, propinquis, affinis florentissimo: ut omittam antiquorum nobilitatem, de qua diximus ep. 1. **IMPERATORI** appellato, & a militibus & ab senatu: qui etiam ei ob uictoriam supplicatione decreuerat. epistola ultima. **AMBITIONOSIVS** studiosius: cum nullum officij genus soleam praetermittere. **QVID NI** Ciceronis, non Appij uerba: ideo parenthesi includenda. Cur non crederem, inquit, id a te dictum? cum te tuae gentis antiqua nobilitas, superbum faciat. **APPIVS Lentulo**, Appius succedens Lentulo decedenti. **PRVDENTIA**, naturalem significat. nam separatim deinde rerum usum nominat. **VRBANITATEM**, urbanitas, & dicacitas non idem sunt. itaque Demosthenem, ait Quintilianus, urbanum fuisse, non dicacem. urbanitatem autem esse illam, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque uerbis, neque ore, gestuue possit deprehendi: ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi: qualis apud Graecos ἀρτιμιος, ille redolens Athenarum proprium saporem. Cicero autem in oratione pro Coelio: Maledictio nihil habet propositi praeter contumeliam: quae si petulantius iactatur, conuicium; si facetius, urbanitas nominatur. **VIRTVS**, habet enim similitudinem quandam urbanitatis. **APPIETATEM**, productione nominis fit sonitus auribus ingratus: & simul ipsa res, nomini subiecta, deformatur. Appius autem nouum Ciceronis nomen, prae suo, Lentulique, contempserat. quam superbiam irridet Cicero, Claudiae familiae insitam, ut ex omni patet historia, & his maxime Taciti uerbis lib. 1. Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bello, sed uetere, atque insita Claudiae familiae superbia. **ORNAMENTA uirtutis**, ipsam uirtutem, a qua nullum abest ornamentum: uel, ornamenta, illa, quae a uirtute proficiscuntur: cum Appietas, & Lentulitas nomina quidem speciosa sint, uirtutis tamen ornamenta non habent. **HOMINVM opinionibus** nam re uera non sunt amplissima, si uirtute careant. uulgus autem ipsam tantum honorum speciem admiratur. **OBIS reliquissent**, qui ea nomina sua uirtute nobilitarunt: quorum uos nomina retinetis, uirtutem non imitamini. Ostendit Appium non a se ipso, sed a maioribus nobilem esse. **MAXIMA imperia**, praetura, & consulatum: quae uocantur imperia, unde illud lib. ix. ad Att. Consules non rogantur a praetoribus, quod maius imperium rogari a minore non sit ius. Praestant autem potestate ceteris omnibus magistratibus: ideo maxima imperia uocantur. nam censura, licet inter maiores magistratus, imperio tamen carebat. **AD honorem**, summus enim honor consulatus: de quo sic Liuius lib. 2. Libertatis originem inde

inde magis, quia annum imperium consulare factum est, quam quod diminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres. omnia iura, omnia insignia primi consules tenere. id modo cautum est, ne, si ambo falces haberent, duplicatus terror uideretur. AD GLORIAM? patefacta enim, & oppressa Catilinae coniuratione, tantum adeptus est gloriae, nihil ut expetere amplius posset. SUPERIOREM NUMQUAM, } quod Appio re ipsa detraxit, uerbis restituit. nam, cum dixit, Viros eos, qui ea uobis reliquissent, magnos arbitrabar; nimirum ijs uiris non esse Appium similem ostendit: rursus, cum se non esse Appio superiorem fatetur, nec sibi tamen quidquam ad honorem, aut gloriam deesse, ornat Appium amplissima laude, qui sit ei par, qui sibi nihil nec ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putet. VEL CN. POMPEIUM, } Appij sententiam Pompeij sententia, ac iudicio debilitat: ut in forensibus causis, ubi testibus res agitur, opponuntur ignobilioribus clarioribus, egentibus locupletes. OMNIBVS, qui unquam fuerunt, } solus enim ad eam diem ter Pompeius triumphauerat, ex tribus orbis terrarum partibus uictoria comparata. P. LENTULVM, } hunc nominat, cuius beneficio in patriam redierat; ne uideatur eum proprie nominasse, cum dixit, Lentulitatem: potest enim nomen illud in omnes Lentulos, qui nobilitatem a maioribus accepissent, non in hunc, qui sua uirtute clarus erat, cuiq. Cicero plurimum debebat, cum quadam contumelia conferri. QUAEM MIHI IPSI ANTEPONO, } praeclarum artificium, nam, si & me uobis parem sperari esse factum; & Lentulum mihi ipsi antepono: sequitur, ut eundem uobis quoque anteponam, quid igitur laborem, si tu me, quasi nouum hominem, contemnis, te autem, tamquam nobilem, magnificis; cum dixeris, Cicero Appio noluit. nam eos uiros, quos & mihi, & tibi antepono, aliter existimare uideo. SI ALITER EXISTIMAS, } si dissentias a Pompeio, & Lentulo; & ideo me contemnis, quia nouus homo sum. NIHIL ERRABIS, } non est hoc sine quodam Appij contemptu: ita enim effertur, quasi rudiorem peritior doceat, & quasi, nobilitas quid sit, Appius ignorare uideatur. (UT, QUID SIT ΕΥΓΕΝΕΑ, quid sit nobilitas, intelligas) } ut intelligas, utrum idem sint, an inter se differant ΕΥΓΕΝΕΑ, & nobilitas. Quasi dicat: falleris, cum uel te putas, quia sis ΕΥΓΕΝΗΣ, hoc est elaro genere natus, ideo nobilem esse; uel me, quia non sim ΕΥΓΕΝΗΣ, propterea nobilem esse non posse. potest enim ΕΥΓΕΝΕΑ esse, ubi non sit nobilitas; & nobilitas, ubi non sit ΕΥΓΕΝΕΑ. nobilitas enim a maioribus non accipitur, sed uirtute, magnisq. in reip. meritis comparatur. Haec fuit Athenodori sententia: quam homo nouus Cicero libenter probat. Aristoteles autem in Politicis libris nobilitatem in maiorum claritate, & in opibus ponit. SANDONIS FILIUS, } patris nomen adiunxit, ut eum distingueret ab altero Athenodoro, eius aequali. nam, ut ait Strabo lib. iiii. Athenodori duo fuere: quorum alter, qui Cordilio uocatus est, cum M. Catone uixit, & apud eum obiit; alter uero, Sandonis filius, quem & Cananitam a quodam uico appellant, Caesaris Augusti praeceptor fuit. De hoc ipso Athenodoro Suidas mentionem facit: & idem Sandonem philosophum nominat, huius, opinor, Athenodori patrem. QUID DE HIS REBUS } quid de praestantia; quid de nobilitate scripserit. AMICISSIMUM } epistolae clausula non caret arte. lenit enim amoris commemoratio animum Appij, iratum fortasse ob superiora. ita Cicero non solum causa, sed etiam humanitate uincit. LABORARIM: } cum alijs in rebus, de quibus ep. 9. tum in supplicatione tibi decernenda, de qua ep. ultima. ISTA CURIO } hoc te mouere non debuit. alios habeo cupidos honoris mei, maxime uero Cn. Pompeium: quem significat, cum ait, ΜΥΡΤΙΕΤΑ ΖΕΥΣ. recitat autē Agamemnonis uerba apud Homerum, contra Achillem, lib. II. r. Apud me alij quoque, qui me honorabunt, maxime uero consiliarius Iupiter: ut, quemadmodum Agamemnon suum Iouem appellauit Nestorem, sic de Pompeio Cicero intelligat, a quo se amari uolentem putabat. aut nihil proprie de Pompeio, sed uniuerse de amicis omnibus dixit, licet extrema Homeri uerba ad unum spectent. fortasse etiam non scripsit Cicero illud, ΜΑΛΙΣΤΑ ΔΕ ΜΥΡΤΙΕΤΑ ΖΕΥΣ, sed aliquis addit, ut uersum absolueret, ignarus Ciceroniani moris. quid enim notos poetarum uersus a primo ad ultimum nominaret? exemplo illud est, (ut omitam alia) ep. 18. lib. vii. ΤΗΣ Δ' ΑΓΕΤΗΣ ΙΔΕΩΤΑ. NATURAE UITIA non nihil excusantur. simul igitur & accusat, & excusat Appium. NON PERFICIES, } si tua mihi officia defuerint, non mea quidem culpa, sed quod φιλαίτιος natura sis, & calumnijs in amicos delecteris: ego tamen retinebo constantiam meam; officia, quae soleo, in te conferam: quae sitibi minus grata fuerint, non laborabo. CONSCIENTIA OFFICII MEI, } ueritas enim, & innocentia, suis freta uiribus, animos addit: delicta uero sequitur metus, & humilitas. BENEVOLENTIAE } simulare enim, aut dissimulare, aut omnino quidquam celare, beneuolentia non patitur. quod etiam indicat illud ep. 14. lib. i. ad Att. Nihil mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, qui cum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem; qui me amet; qui sapiat; qui cum loquar; nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. CERTO IUDICIO SUSCEPTAM, } eo susceptam animo, ut perpetuo conseruarem. Hoc dicit, ne uideatur sicte in gratiam rediisse: quod suspicari Appius uidebatur, cum in malam partem acciperet ea, quae minime contra eius existimationem a se fieri Cicero uoluerat. QUOAD TU UOLES, } ita suam humanitatem declarat, ne pluris tamen, quam eius dignitas ferat, Appij amicitiam aestimare uideatur. tale illud ep. 2. lib. v. Maneo in uoluntate, &, quoad uoles tu, permanebo.

Argumentum ep. 8.

Refellit ea, quae Appius obiecerat; probatq. si quid fecerit, quod Appius inique factum, suiq. deformandi consilio, interpretaretur; ipsumq. Appium aut imprudentem significat, qui sermonibus non proborum hominum crediderit; aut nimis astutum, qui ea, quae ipsi in mentem ueniant, alijs attribuat. Agit gratias, quod scripserit diligenter de rebus urbanis, seq. omnia Ciceronis mandata curaturum promiserit: in quibus id praecipue rogat, ne sibi prouincia prorogetur. addit de suis rebus, de itinere Amanum uersus: item de Parthis, falsum fuisse. de rebus Appij, de suis, de tota rep. creberrimas litteras poscit.

Cicero procos. S. D: Ap. Pulchro imp. 8.

ET si, quantum ex litteris tuis intelligere potui, uidebam te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturum, refrigerato iam leuissimo sermone hominum prouincialium: tamen, cum tu tam multis uerbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putavi, ut tuis litteris breui responderem. Sed prima duo capita epistolae tuae tacita mihi quodam modo relinquenda sunt: nihil enim habent, quod definitum sit, aut certum, nisi me uultu, taciturnitate significasse, tibi non esse amicum; idq. pro tribunali, cum aliquid ageretur, & non nullis in conuiuijs intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse, possum intelligere: sed cum sit nihil, nec quid dicatur quidem intelligo. illud quidem scio, meos multos & illustres, & ex superiore, & ex aequo loco sermones habitos cum tua summa laude, & cum magna significatione nostrae familiaritatis, ad te uere potuisse deferri. Nam, quod ad legatos attinet, quid a me fieri potuit aut elegantius, aut inscius, quam ut sumptus egentissimarum ciuitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuae, praesertim ipsis ciuitatibus postulantijs? nam mihi totum genus legationum tuo nomine proficiscentium notum non erat. Apameae cum essem, multarum ciuitatum principes ad me deculerunt, sumptus decerni legatis nimis magnos, cum soluendo ciuitates non essent. hic ego multa simul cogitavi. Primum, te, hominem non solum sapientem, uerum etiam, ut nunc loquimur, urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari. idq. me arbitror Synnadis pro tribunali multis uerbis disputauisse: primum, Appium Clodium senatui, populoq. R. non Myndensium testimonio, (in ea enim ciuitate mentio facta est) sed sua sponte esse laudatum: deinde, me ista uidisse accidere multis, ut eorum causa legationes Romam uenirent; sed his legationibus non meminisse ullum tempus laudandi, aut locum dari: studia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati essent; consilium totum uideri minime necessarium: si, autem uellent declarare in eo officium suum; laudaturum me, si quis suo sumptu functus esset officio; concessurum, si legitimo; non permissurum, si infirmo. Quid enim reprehendi potest? nisi quod addis, uisum esse

se quibusdam edictum meum quasi consulto ad istas legationes impedire, das esse accommodatum. Iam non tam mihi uidentur iniuriam facere ij, qui haec disputant, quam si cuius aures ad hanc disputationem patent. Romae coposui edictum. nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me uenissent, ut de tuo edicto totidem uerbis transferrem in meum. diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus ciuitatum: quo in capite sunt quaedam noua, salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector. Hoc uero, ex quo suspicio nata est, me exquisuisse aliquid, in quo te offenderem, translaticium est. neque enim eram tam desipiens, ut priuatae rei causa legari putare, qui & tibi non priuato, & pro te non priuata sit, sed publica, non in priuato, sed in publico orbis terrae consilio, id est, in senatu ut gratias agerent, mittebantur. Neque, cum edixi, ne quis inuisu meo proficisceretur, exclusi eos, qui me in castra, & qui trans Taurum persequi non possent. nam id est maxime in tuis litteris irridendum. quid enim erat, quod me persequerentur in castra, Taurum ue transirent; cum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim; ut me omnium illarum dioecesium, quae cis Taurum sunt, omniumq. earum ciuitatum magistratus legationesq. conuenirent? Nisi forte postea coeperunt legare, quam ego Taurum transgressus sum: quod certe non ita est. cum enim Laodiceae, cum Apameae, cum Synnadis, cum Philomeli, cum Iconij essem; quibus in opidis omnibus commoratus sum: omnes iam istius generis legationes erant constitutae. Atque hoc tamen te scire uolo, me de isto sumptu legationum aut minuendo, aut remittendo decreuisse nihil, nisi quod principes ciuitatum a me postulassent, ne in uenditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum, atque ostiorum, inducerentur sumptus minime necessarij. Ego autem, cum hoc suscepissem, non solum iniuria, sed etiam misericordia adductus, ut leuarem miseris perditas ciuitates, & perditas maxime per magistratus suos; non potui in illo sumptu non necessario negligens esse. Tu, cum istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. sin autem eo genere

genere delectaris, ut, quae tibi in mentem ueniant, alijs attribuas: genus sermonis inducis in amicitiam minime liberale. Ego, si in prouincia de tua fama detrabere unquam cogitasset, non ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundisij, neque ad praefectum fabrum Corcyrae, quem in locum me uenire uelles, retulisset. Quare potes, doctissimis hominibus auctoribus, quorum sunt de amicitia gerenda praeclarissime scripti libri, genus hoc totum orationis tollere: Disputabant; ego contra diserebam: Dicebant: ego negabam. an mihi de te nihil esse dictum unquam putas? ne hoc quidem, quod, cum me Laodiceam uenire uoluisses, Taurum ipse transiisti? quod iisdem diebus meus coeuentus erat Apameae, Synnadis, Philomeli, tuus Tarsi? non dicam plura; ne, in quo te obiurgem, id ipsum uidear imitari. illud dicam, ut sentio: si ista, quae alios loqui dicis, ipse sentis; tua summa culpa est: sin alij tecum haec loquuntur; tua tamen, quod audis, culpa non nulla est. mea ratio in tota amicitia nostra constans, & grauis reperietur. Quod si quis me astutiuorem fingit; quid potest esse callidius, quam, cum te absentem semper defenderim, cum praesertim mihi usu uenturum non arbitrarer, ut ego quoque absens a te defendendus essem, nunc committere, ut tu iure optimo me absentem deserere posses? Vnum genus excipio sermonis, in quo persaepe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici; si aut legatorum tuorum cuiuspiam, aut praefectorum, aut tribunorum mil. male dicitur: quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente; ut aut grauius diceretur, aut in plures, quam mecum Corcyrae Clodius est locutus, cum in eo genere maxime quereretur te aliorum improbitate minus felicem fuisse. hos ego sermones, quod & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessui numquam, sed non ualde repressi. si quis

est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse; non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam; simulq. non de me is peius, quam de te, existimat. sin autem quem mea instituta in prouincia non delectant; & quadam dissimilitudine insit torum meorum, ac tuorum laedi se putat; cum uterque nostrum recte fecerit, sed non idem uterque secutus sit: hunc ego amicum habere non curo. liberalitas tua, ut hominis nobilissimi, latius in prouincia patuit; nostra si angustior, & si de tua prolixa, beneficaq. natura limauit aliquid posterior annus, propter quandam tristitiam temporum; non debent mirari homines, cum & natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, & temporibus, quibus alij mouentur, iisdem ego mouear, me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. De rebus urbanis quod me certiuorem fecisti, cum per se mihi gratum fuit, tum quod significasti tibi omnia mea mandata curae fore. in quibus unum illud te praecipue rogo, ut cu res, ne quid mihi ad hoc negotij aut oneris accedat, aut temporis: Hortensiumq. nostrum collegam, & familiarem, roges, ut, si unquam mea causa quidquam aut senserit, aut fecerit, de hac quoque sententia bina decedat; qua mihi nihil potest esse inimicus. De nostris rebus quod scire uis; Tarsi nonis Oct. Amanum uersus profecti sumus. haec scripsi posttridie eius diei, cum castra haberem in agro Mopsuestiae. si quid egero, scribam ad te: neque domum unquam ad meos litteras mittam, quin adiungam eas, quas tibi reddi uelim. De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt, admisto Parthico ornatu, dicuntur omnes reuertisse. hostem esse in Syria negant ullum. Tu uelim ad me quam saepissime & de tuis rebus scribas, & de meis, & de omni reip. Statu: de quo sum sollicitus eo magis, quod ex tuis litteris cognoui, Pompeium nostrum in Hispaniam iturum. Vale.

EXPLANATIO

CVM. AD urbem esses, } antea, Isles: nos, Esses. Esse autem ad urbem dicebantur, qui cum potestate prouinciali aut nuper e prouincia reuertissent. aut nondum in prouinciam profecti essent. sic enim scripsit Asconius. eoque modo Cicero, Sallustius, & alij eiusdem aetatis locuti. solebant autem, qui ob res in prouincia gestas triumphum peterent, extra urbem exspectare, donec, lege lata, triumphantes urbem introire possent. & de triumpho Appium cogitasse, ex ep. 10. cognoscitur, ne triumpharet, accusatione Dolabellae factum est. ep. 6. lib. IIX. **REFRIGERATO** } immutato. sic in Verrem, Refrigerata accusatio. manifesta translatio: cum actionem suis frigoris impediatur. sic ad Dolabellam, ep. 10. lib. IX. Vnum uereor, ne haec Caesaris refrixerit. Contra, Calere dicitur id, quod sine intermissione fit. ep. 1. lib. IIX. Rumores caluerunt. ad Att. ep. 16. lib. IV. Iudicia calent. **HOMINVM prouincialium**: } quibus de meo in te animo falsa narratibus credidisti. Phryges, & Lycaones nominat ep. 10. **BREVI** responderem. } breuis responsio non fuit: sed breuis fortasse praec Appij querella: dixit enim, Cum tu tam multis uerbis ad me improborum oratione scripsisses. **DEFINITVM**, aut certum; } nam neque rem nominauerat Appius, ex qua non esse sibi amicum Ciceronem conijceret: neque certa signa posuerat, cum ex uultu, & taciturnitate de Ciceronis animo coniecturam faceret. **PRO tribunali**, } in tribunali: ut Pro rostris, pro aede: sic enim Festus interpretatur. **POSSVM intelligere**: } quia conscius mihi sum animi erga te mei. ex quo sequitur, ut, quid a te dicatur, non intelligam. **EX SUPERIORE**, & ex aequo loco } & pro tribunali, & priuatis in locis. **AD legatos** } questus erat Appius, quod legatos ciuitatum Romam ire, ut Appium in senatu laudaret, prohibuisset. **ELEGANTIVS**, } commodius: quia ita sumptus ciuitatum minui, ne tuam tamen dignitatem imminuerem. **IUSTIVS**, } quid enim iustius, quam leuare sumptibus egentissimas ciuitates, praesertim cum ipsae postulent? **TOTVM genus legationum** } hanc unam ob causam legatos Romam ire, ut te laudarent, nesciebam. **TVO nomine** } tui laudandi causa. **PRINCIPES** } primarij ciues. **CVM soluendo non essent**. } cum ea tributa soluere non possent. ad Att. ep. 10. lib. XIII. Magius soluendo non erat. Off. lib. 2. In pecunijs creditis occultat suum gaudium, ne uideatur non fuisse soluendo. **SAPIENTEM**, } sapientis auius est, inania contemnere. **VT**. **NIVNC loquimur**, } non, quod, urbanus, nouum esset uerbum,

cum eo Plautus quoque non semel usus esset; sed quod noua significatio. quod enim peregrini homines ab urbanis mortum elegantia, & lepore uincebantur; inde coeptum Ciceronis aetate, urbanus homo dici, pro eo, cuius in factis, aut dictis nihil odiosum, nihil inconditum, nihil turpe notaretur. epistola etiam proxima urbanitatem in Appio laudauit. **IN . EA enim ciuitate** } ex his uerbis, proxime legendum, Synnadenium, non Myndensium, conijcio: cum dixerit iam, Idq. me arbitror Synnadis pro tribunali multis uerbis disputauisse. **CONSILIVM totum** ut Romam uenirent tui laudandi causa. **SVO sumptu** } non ciuitatum. dixit enim; Vt sumptus egentissimarum ciuitatum minuerem. **LEGITIMO** } quantum lex Cornelia concedebat. ep. 10. **QVID enim reprehendi potest?** } ex his, quae Synnadis pro tribunali disputauit. **QUASI consulto,** } quia de industria uisus est edicere, ne quis iniussu suo Romam proficisceretur; ut impedimentum profecturis Romam legationibus objiceret. **SI . CIVIS aures,** } quaerit enim causas discordiarum. **EDICTVM,** } ex quo in prouincia ius dicerem. **TRANSLATICIUM est.** } usitatum quod ad omnes consuetudine transfertur. sic Coelius epist. 5. Nosti haec translaticia. Ad Att. ep. 23. lib. III. Alterum caput est translaticium de impunitate. In Verrem; In re tam uisitata, satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, & hoc uetus edictum translaticiumq. esse. Suetonius in Nerone: Raptum inter maximos imbres translaticio funere extulit. Et Plinius lib. x. cap. 50. Hoc primum antiquis cenarum interdictis exceptum inuenio, iam lege C. Fannij consulis, ne quid uoluerum poneretur, praeter unam gallinam, quae non esset altilis: quod deinde caput translaticium, per omnes leges ambulauit. Haec igitur est sententia Ciceronis. Quod edixi, ne legati Romam iniussu meo proficiscerentur; ex quo suspicatus es, me exquisiuisse aliquid, in quo te offenderem: noui nihil feci, aut a me exquisitum, ut minuerem dignitatem tuam: translaticium id fuit, usitatum antea, cum enim nec priuatae rei causa, nec ut homini priuato, nec ut in priuato loco, sed ut in senatu gratias tibi agerent, mitti legatos intelligerem; cur in eo me de tua priuata contumelia cogitasse putas? quod si tua priuata res, non publica, ageretur; querendi fortasse de me si non ueram, speciosam tamen causam haberes. nunc, si priuatae rei causa legari credidisses, plane desipiens fuisset. **PUBLICO orbis terrae consilio,** } oratione 4. in Antonium: Senatum, idest orbis terrae consilium, delere gestit. Et in eundem 7. Turpe est, summo consilio orbis terrae, praesertim in re tam perspicua, consilium intelligi defuisse. **EXCLUSI eos;** } priuati eos proficiscendi potestate, qui me in castra ad Iconium, & qui trans Taurum persequi non possent. nam si nec iniussu Ciceronis Romam ire, nec unum persequi trans Taurum poterant, ut eundi facultatem impetrarent: uidebantur excludi, idest prorsus omni eundi Romam potestate priuari. Hoc suspicatus erat Appius: Cicero refellit. **IN . CASTRA,** } ad Iconium. ep. 5. 6. & ep. 4. lib. xv. **TRANS Taurum** } Iconium enim cis Taurum fuit. **COMMORATVS** } biduum Laodiceae, quattriduum Apameae, triduum Synnadis, totidem Philomeli. sic enim scripsit ad Catonem ep. 4. lib. xv. aliter tamen ad Att. ep. 16. & 20. lib. v. Commoratus autem, quia ius in ijs opidis dixit. qua iurisdictione nihil acquabilius, nihil lenius, nihil grauius esse potuisse, scripsit ad Att. ep. 20. lib. v. **VENDITIONEM tributorum,** } cum enim exigi celeriter tributa non possunt, uenduntur alicui, qui, quanti emit, tantum statim de suo numerat, deinde exigit acerbissime, accepta cogendi potestate. **CAPTVM, atque ostiorum,** } cum per singula capita, atque ostia exiguntur tributa per eos, quibus uendita sunt. Festus: Tributorum collationem cum sit alia in capite, alia ex censu, dicitur etiam quoddam temerarium, ut post urbem a Gallis captam collatum est, quia proximis quindecim annis census alius non erat. **PER magistratus suos;** } hoc adiunxit, ne perditas ab Appio ciuitates uideatur dicere. perditas tamen per Appium maxime, significat in epistolis ad Att. atque haec ipsa tributa ita memorat ep. 16. lib. v. Audiemus nihil aliud, nisi imperata *ἐπιτεταράχαια* soluere non posse: omnes possessiones omnium uenditas: ciuitatum gemitus, monstra quaedam non hominis, sed ferae nescio cuius immanis. In epistola uero 2. lib. vi. expilatas a suis etiam magistratibus ciuitates, easq. pecunias suo iussu redditas esse narrat. **NON necessario** } nec enim ulla necessitate cogebantur eas legationes Romam mittere. **ISTIUS MODI sermones** } quod ais uisum esse quibusdam, edictum meum quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum; & illud, me exquisiuisse aliquid, in quo te offenderem. **NON debuisti credere.** } aut enim, si credidit, imprudens; aut, si finxit ipse, non amicus. **MINIME liberale.** } indignum homine liberaliter educato. **GENERVM tuum Lentulum,** } tres igitur Appius generos habuit. nam de duobus, Cn. Pompeij filio, & M. Bruto, mentionem fecit ep. 4. Retulit autem ad eum Romae. Sed mihi suspectus locus est. cur enim ad hunc potius retulit, qui nusquam praeterea nominatur, quam ad reliquos generos? auget suspicionem dissensio ueterum librorum: nam Lentuli mentionem plerique non habent. **LIBERTVM tuum** } Phanium ep. 5. **PRAEFECTVM** } L. Clodium. ep. 5. 6. **AUCTORIBVS;** } monent enim, ne inter amicos tale quidquam dicatur, quale tu ad me scripsisti, hoc inquam: Disputabant; ego contra diserebam. **DISPUTABANT;** } contra te Cicero. **CONTRA diserebam:** } cum ego te contra illos defenderem. **DICEBANT;** } ideo legationes a te impeditas, quia meae laudi inimicus esses. **VOLUISSES,** } id enim ei dixerat L. Clodius. ep. 5. & 6. **TAVRVVM ipse transisti?** } quod hominis alieni, & fugientis congressum fuisse, scripsit ep. 6. ad Atticum autem ep. 16. lib. v. Appius, ut audiuit nos uenire, in ultimam prouinciam se coniecit, Tarsum usque, ibiq. forum agit. Et in sequenti ad eundem: Appius noster, cum me aduentare uideret, profectus est Tarsum Laodicea: ibi forum agit; cum ego sim in prouincia. quam eius iniuriam non infector. **CONVENTVS** } iuris dicendi causa. **NON . DICAM . PLVRA;** } quae mihi de te dicta sunt. **OBIURGEM;** } quod maleuolorum sermonibus aures dedisti. **CVLPA est;** } qui genus sermonis

fermonis inducis in amicitiam nostram minime liberale. **QVOD audis**, } cum istiusmodi sermonibus non debueris credere. **MEA ratio**, } Eodem modo ep. 5. Tua ratio postea est commutata. Et ep. 9. lib. 1. Mea ratio fuit alia. Mea, inquit, ratio constans, & grauis reperietur: pro, nihil inconstanter, aut leuiter commisi: perpetuam quandam in tota amicitia nostra constantiam, & grauitatem seruaui: cum tua ratio neque constans fuerit, id quod ex uitato congressu possum suspicari; neque grauis, cum credideris Phrygum, & Lycaonum maleuolis de me sermonibus. ep. 10. in extremo. **ASTVTIOREM**, } quasi consulto ad legationes impediendas meum edictum accommodauerim. quae astutia uidetur. **CALLIDIVS**, } cum ironia. potius enim stultitia, quam calliditas est. **NON arbitrarer**, } non enim fore putabam, ut in prouinciam irem. ep. 2. **IURE optimo**, } nam, si ego te in prouincia laederem, tu me absentem iure optimo desereres. **QVOD TE putem nolle dici**, } recte: nec aliter est in antiquis libris. nam illa inferiora subiungit Cicero ad Appium consolandum: Hos ego sermones. &c. **Quis** autem non laborasse Appium credat, si suae cohorti malediceretur? debet enim, qui prouinciae praest, non ipse tantum uacare culpa, sed suos quoque praestare. quod Cicero fratrem suum, Asiae proconsulem, diligenter monet in illa praeclara de officio proconsulis epistola. **MALE DICITVR**, } male dicere alicui, est, de fama sermonibus detrahere. **IN PLVRES**, } non enim tibi, sed tuis male dicitur. **CLODIVS**, } L. Clodius, praefectus fabrum. ep. 5. **ALIORVM improbitate**, } usitata ratio criminis detrahendi. nam & in Verr. lib. 2. Aiunt eum, inquit, queri solere non numquam, se miserum, quod non suis, sed forum comitum peccatis, & criminibus prematur. **MVLTIVS sunt**, } ut reprimere non poterim, etiam si uellem. **NON offendunt**, } nec enim tu aliorum facta praestare debes. **LACESSIVI nunquam**, } non excitauit, non commouit. **REPRESSI**, } sic Coelius ep. 1. lib. IIX. Eos sermones repressit. Et ep. 9. eiusdem libri: Retudit sermones. **NEMINEM bona fide in gratiam redire**, } sermonum haec erat causa improbis hominibus. **DISSIMILITVDINE**, } uide ep. 13. lib. 2. & ad Att. ep. 1. lib. VI. **LAEDI se putat**, } notat homines prouinciales, qui non eosdem e Ciceronis institutis fructus caperent, quos ex Appij administratione capere consueuerant. Huc spectat id, quod sequitur: Liberalitas tua latius in prouincia patuit. Et illud paullo post: Non debent mirari homines, me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. Alij legendum arbitrantur: Laedi te putat: discedentes primum ab antiquis libris, deinde etiam, ut mihi uideor ostendisse, a mente Ciceronis. **LIBERALITAS tua**, } cum uideatur eum laudare, carpit, quasi ex alieno liberalem. **VT hominis nobilissimi**, } excusat qua ratione potest Appij instituta. nobilitas enim ad liberalitatem hortatur. Sed de nobilitate quid ipse sentiat, superiore docuit epistola. **LIMAVIT aliquid**, } detruuit aliquid, detraxit, imminuit, ut lima solet. Hic monco lectorem, cui fucum fieri non patior, in omnibus, quos ego adhuc uiderim, antiquis libris, pro Limauit, esse, Limabit, uno dumtaxat excepto, in quo est, Limitauit. quo equidem tot librorum consensu ualde moueor: nec puto, si quid obscurum nobis est, aut etiam corruptum uidetur, propterea statim repudiandum. Limitare autem de alicuius prolixae natura, fortasse est, quod aliquis prolixae, & liberaliter facere consueuerit, id quasi intra limites reducere, quos largiendo transire non liceat. **PROPTER quandam tristitiam temporum**, } callide; ne uideatur sua sponte ab Appio dissentire. Temporum, inquit, ratio liberalitatem respuit, in qua fortasse se, si soluta mea uoluntas esset, imitaret. **AD largiendum ex alieno**, } acerbis in Appium. quasi eius liberalitas ex alieno fuerit, ideoq. late patuerit in prouincia. **QVIBVS alij mouentur**, } sapientis enim est, parere temporibus. ep. 9. lib. IV. **ACERBVM sibi**, } quia largitiones Appij non imitor. **VT SIM dulcis mihi**, } ut meae laudi consulam. aperta translatio, contrarijs expressa, ut in Laelio, Scitum est illud Catonis, multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces uidentur. **AUT oneris**, } fortasse ne quid ei mandaretur, si Parthi in Syriam irrumperent: quod post M. Craesi necem timebatur. **AUT temporis**, } suspicabatur fore, quod accidit, ut successor ei non mitteretur, propter Gallias impedita prouinciarum omnium successione, qua de re ep. 10. lib. IIX. & 10. lib. 2. **HORTENSIVM**, } Q. Hortensium oratorem. **NOSTRVM collegam**, } collegam Appij & Ciceronis in auguratu: quod legitur in prooemio libri de claris orat. & Phil. 2. **FAMILIAREM**, } Appio quidem ita studuit, ut eum, a Dolabella accusatum, defenderet. in Bruto. **SENTENTIA bima**, } ut prouinciae per biennium ab iisdem obtinerentur. **AMANVM**, } quo in monte quae gesserit, scripsit ad Coelium ep. 10. lib. 2. sed copiosius ad Catonem ep. 4. lib. XV. **MOPSVESTIAE**, } opidum Ciliciae, cuius in gymnasio Syriarum rex Seleucus, Grypi filius, ob tyrannidem iniquissimam, a populo crematus est. Appianus in Syriaco. **PARTHICO ornatu**, } quo plus terroris inferrent. finitimi Syrijs Arabes sunt. ideo facilis irruptio est. ep. 8. lib. IIX. **POMPEIVM nostrum**, } quo absente infirma resp. uidetur. ad Att. ep. XI. lib. V. Pompeius mihi quod uidebatur in Hispaniam iturus. id ego minime probabam: qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius, quam nusquam illum discedere. Reuersus tamen e prouincia, ut contentiones inter Caesarem, & Pompeium sedarentur, censuit, ut in Hispaniam iret: de quo sic ep. 6. lib. VI. Eundem in Hispaniam censui quod si fecisset, ciuile bellum nullum omnino fuisset. **HISPANIAM**, } quam per legatos absens administrabat, acceptam lege Trebonia in quinquennium.

Argumentum ep. 9.

A Pp̄ij litteris, humanissime scriptis, humanissime & ipse respondet: gratulatur de triumpho spe: hortatur ad absolutionem librorum auguralium: petit, ut supplicationem sibi decernendum curet.

Cicero imp. S: D: Ap. Pulchro 9.

Vix tandem legi litteras dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, officij, diligentiae. adspetus uidelicet urbis tibi tuam pristinam urbanitatem reddidit. nam, quas ex itinere, ante quam ex Asia egressus es, ad me litteras misisti, unas de legatis a me prohibitis proficisci, alteras de Appianorum aedificatione impedita, legi perinuitus. itaque conscientia meae constantis erga te uoluntatis rescripsi tibi subiratus. ijs uero litteris lectis, quas Philotimo, liberto meo, dedisti, cognoui, in ellexiq. in prouincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent; ad urbem uero ut accesseris, uel potius ut primum tuos uideris, cognosse te ex ijs, qua in te absentem fide, qua in omnibus officijs tuendis erga te obseruantia, & constantia fuifsem. itaque quanti illud me aestimare putas, quod est in tuis litteris scriptum? si quid inciderit, quod ad meam dignitatem pertineat, etsi uix fieri possit, tamen te parem mihi gratiam relaturum. tu uero facile facies:

Nihil est enim, quod studio, & beneuolentia, uel amore potius effici non possit. Ego, etsi & ipse ita iudicabam, & sebam crebro a meis per litteras certior; tamen maximam laetitiam cepi ex tuis litteris de spe minime dubia, & plane explorata triumpho tui: neque uero ob eam causam, quo ipse facilius consequeretur, (nam id quidem ετιμωγεον est) sed mehercule, quod tua dignitas, atque amplitudo mihi est ipsa cara per se. quare, quoniam plures tu habes, quam ceteri, quos scias in hanc prouinciam proficisci, quod te adeunt fere omnes, si quid uelis: gratissimum mihi feceris, si ad me, si-

mul atque adeptus eris, quod & tu confidis, & ego opto, litteras miseris, longi sublellij, ut noster Pompeius appellat, iudicatio, & moras quem tibi item unum, alterum uel diē abstulerit; (quid enim potest amplius?) tua tamen dignitas suum locum obtinebit. sed, si me diligis, si a me diligis uis, ad me litteras, ut quamprimum laetitia afficiar, mittito. Et uelim, reliquum quod est promissi, ac muneris tui, mihi persoluas. cum ipsam cognitionem iuris auguralis consequi cupio: tum mehercule tuis incredibiliter studijs erga me, muneribusque delector. quod autem a me tale quiddam desideras: sane mihi considerandum est, quoniam te remunerer potissimum genere. nam profecto non est meum, qui in scribendo, ut soles admirari, tantum industriae ponam, committere, ut scribendo negligens fuisse uidear; praesertim cum id non modo negligentis, sed etiam ingrati animi crimen futurum sit. uerum haec uidebimus. Illud, quod polliceris, uelim pro tua fide, diligentiaque, & pro nostra non instituta, sed iam inueterata amicitia curares, enitare, ut supplicatio nobis quam honorificentissime, quamprimumque decernatur. Omnino serius misisti litteras, quam uellem. in quo cum difficultas nauigandi fuit odiosa: tum in ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras. sed id feci adductus auctoritate, & consilio tuo: idque a me recte factum puto, quod non statim, ut imperator appellatus sum, sed, alijs rebus additis, aestiuisq. confectis, litteras miserim. Haec igitur tibi erunt curae, quemadmodum ostendis: meq. totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.

EXPLANATIO

Vix tandem } quantopere eas Appij litteras exspectaret, hoc principio significat. fero enim nimis uidetur fieri, quod uehementer cupimus. **DIGNAS. AP. Clodio,** } quasi aliae Appij litterae non tam ipsius uoluntate, qui natura ad humanitatem inclinaret, sed ob sermones improborum scriptae sint. **VRBANITATEM** } humanitatem illam, quae in urbanis hominibus agnoscitur. ep. 7. Homo, mea sententia, summa prudentia, multa doctrina, plurimo rerum usu: addo urbanitatem, quae est uirtus, ut Stoici putant. Et ep. 8. Te hominem non solum sapientem, uerum etiam, ut nunc loquimur, urbanum. **EX. ASIA** } ex ea parte Asiae, quae ad prouinciam Ciliciam non pertinuit. **PROFICISCI,** } Romam, ut te laudarent. **APPIANORVM** } de quibus ep. 7. **RESCRIPSI tibi subiratus.** } iracundiae confessio satisfactio quaedam est praesertim cum adiunxerit, Conscientia meae constantis erga te uoluntatis. **LIBERTO meo,** } libertum suum uocat, quod eius uxoris libertus esset. id quod ostendit ep. 4. & 5. lib. 2. ad Att. aut duo Philotimi fuerunt, unus Ciceronis, alter Terentiae libertus. **COGNOSCI,** } culpam in alios confert, quo leuius peccasse Appius uideatur, nam omnino peccatum aliquod in eo fuit, quod audierit, & crederit. ep. proxima: Sin alij tecum haec loquuntur; tua tamen, quod audis, culpa non nulla est. **ACCESSERIS,** } non enim introierat, quia triumphum sperabat. **FIDE,** } post gratiam reconciliatam. **OFFICIIS tuendis erga te obseruantia,** } Tueri, non est defendere, sed colere: ut ep. 68. lib. XIII. Tuebor omni obseruantia patrem tuum. **CONSTANTIA** } confirmat illud, quod dixit: Mea ratio in tota amicitia nostra constans, & grauis reperietur. Omnino significat, se, post reconciliatam gratiam, amici officio nunquam defuisse: itaque fidem, & constantiam suam hic nominauit. **PAREM gratiam** } operam Appio suam

suam Cicero nararat in supplicatione impetranda. ep. 13. Cum de tuis rebus gestis agebatur, inferuebam honori tuo. **STVDIO, & benevolentia,** addidit benevolentiae nomen; quia multi student, nec tamen diligunt. **VEL amore potius,** maior est in amore uis, quam in benevolentia: sicuti plus est amare, quam diligere. ep. 14. lib. IX. Quis erat, qui putaret ad eum amorem quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse. Et ep. 47. lib. 13. Vt scires, eum non a me diligi solum, uerum etiam amari, ob eam rem tibi haec scribo. Et ep. 1. ad M. Brutum: Clodius tribunus pl. des. ualde me diligit, uel, ut *ἐμπαρξιώτερον*, ualde me amat. Et ad eundem ex incerto libro apud Nonium: Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges. **SPE** ex tuis rebus gestis, & quia iam adeptus erat supplicationem: quae triumphi praerogativa quaedam solebat esse, ut ait Cato ep. 5. lib. xv. **FACILIVS consequeretur,** exemplo tuo: cum ego quoque Ciliciae praesim; nec mihi, successori tuo, negari posse uideatur, quod tibi concessum sit. *Ἐπιχοιζέων* esset hoc eius hominis, qui Epicuri sententiam sequeretur, id est, qui ad se ipsum omnia referret, & in sua utilitate cuncta poneret. ep. 12. lib. VII. **DIGNITAS, atque amplitudo** amplitudinem, & dignitatem coniunxit etiam ep. 5. lib. 1. **LONGI subsellij,** senatum significat, a quo tarde omnia explicarentur. **IUDICATIO,** in iudicandis rebus, de quibus cōsultitur, petebatur enim a senatu triumphus: deinde factō **S. C.** lex ad populum ferebatur, ut ei, qui triumphaturus esset, eo tantum die, quo triumpharet, imperium in urbe esset. alioqui urbem introire cum imperio nemini licebat. itaque de Pōtinij triumpho legem a Ser. Galba praetorem latam esse, legimus in Dione lib. xxxix. **ITEM unum, alterum ue diem** cōsuetudinem senatus in protrahendo rerum exitu significat. **RELIQVVM promissi,** scripserat ad Ciceronem Appius librum unum de iure augurali, reliquos promiserat. ep. 4. & II. & Festus in uerbo Sollistimum. **TALIS quiddam** ob hanc fortasse causam, ut Appium remuneraretur, scripsit Cicero librum de augurijs, quem Carisius nominat. **CONSIDERANDVM est,** si gratus esse uolo. **QVONAM genere,** quo muneris genere: id est, quid ad te scribam, ut te remunerer. **VIDEAR;** si, accepto a te munere, nihil remittam. **UT supplicatio** pro rebus in Amano monte gestis: ex qua uictoria imperator appellatus est. quamquam Pindenissum etiam postea cepit. ep. 10. lib. 2. & 4. lib. xv. **DIFFICVLTAS nauigand i** misit enim litteras ad senatum mense Ianuario. quod ad Att. ep. 20. lib. v. fatis ostendit. **IN IPSVM discessum senatus** discedebat senatus Aprili mense, cuius fere dies omnes uel ludis dabantur, uel festi erant, uel comitiales, quibus haberi senatum non licebat. id quod ex antiquis dierum fastis, quos a nobis explanatos edidimus, licet intelligere. erant autem inter ludos, qui dabantur Aprili mense, Megalenses, quos aediles curabant. Romani uero ab iisdem aedilibus Septembri mense dabantur: quorum item causa senatum discessisse, ex ijs uerbis conijcio, quae sunt lib. 1. de Orat. Dicit memini, ludorum Romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse. uenisse eodem Q. Mucius dicebatur, & M. Antonius. **INCIDISSE meas litteras,** ex quibus referri ad senatum de supplicatione mea, ideo fortasse non potuit, quia frequens senatus non affuerit: infrequenti enim senatu fieri **S. C.** non potuerat: quod ostendimus ep. 9. lib. 1. in eo loco: Mihi est senatus assensus, ut de agro Campano, frequenti senatu, idibus Maij referetur. **IMPERATOR appellatus** de uictis Amanien sibus. ep. 10. lib. 2. & 4. lib. xv. **ALIIS rebus additis,** capto Pindenisso die quinquagesimo septimo, postquam oppugnari coeptum erat. ep. 4. lib. xv. **ABSTIUIS Q. confectis** cum in hiberna milites dimittuntur; nec iam bellum geri per anni tempus licet.

Argumentum ep. 10.

Appium Dolabella, reuersum e Cilicia, de maiestate, & de ambitu accusauerat, eodemq. tempore Tulliam, Ciceronis filiam, uxorem duxerat, M. Coelio, Ciceronis, & Dolabellae amicissimo, eas nuptias conciliante; de quibus lib. 11. ep. 6. 13. Id factum a suis, insciente se, conatur Cicero probare, & in hanc sententiam multa colligit: Praeterea, suspicante Appio, impeditas a Cicerone legationes, quae Romam ad suam laudem ire decreuissent, multis uerbis hanc ei suspicionem studet adimere. Mittit etiam commentarium de rebus a se perfectis, atque institutis in provincia, quae ad Appij absolutionem pertinerent. Auguratur in extremo, censuram ei delatum iri: quod euenit.

Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro.

10.

CVM est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facerent; etsi grauer primo nuncio commotus sum, quod nihil tam praeter opinionem meam accidere potuit; tamen, ut me collegi, cetera mihi facillima uidebantur; quod & in te ipso maximam spem, & in tuis magnam habebam; multaq. mihi ueniebant in mentem; quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore: illud plane moleste tui, quod certissimum, & iustissimum triumphum hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum uidebam. quod tu si tanti facies, quanti ego semper iudicavi faciendum esse: facies sapienter, & ages uictor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum. ego enim plane uideo fore neruis, opibus, sapientiaq. tua, uehementer ut inimicos tuos paeniteat intemperantiae suae. De me tibi sic, contestans omnes deos, promitto, atque confirmo: me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute) in hac prouincia, cui tu praefuisti, rogando, deprecatoris; laborando, propinqui; auctoritate, cari hominis, ut spero, apud ciuitates; grauitate, imperatoris suscepturum officia, atque partes: omnia uolo a me & postules, & expectes. uincam meis officij cogitationes tuas. Q. Seruilius perbreues a te mihi litteras reddidit: quae mihi tamen nimis longae uisae sunt. iniuriam enim mihi fieri putabam; cum rogabar, nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti Pompeium, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem: quamquam in consuetudine quotidiana perspexisses, sicuti perspicies: sed quoniam accidit; si quid a me praetermissum fuerit, commissum facinus, & admissum dedecus confitebor. Pontinius, qui a te tractatus est praestanti, ac singulari fide, cuius tui beneficii sum ego testis, praestat tibi memoriam, beneuolentiamque, quam debet: qui cum, maximis rebus suis coactus, a me inuitissimo decessisset; tamen, ut uidit tua interesse, conscendens iam nauem Epheso Laodiceam reuertit. talia cum te studia uideam habiturum esse innumerabilia: plane dubitare non possum, quin tibi amplitudini ista sollicitudo futura sit. si uero efficias, ut censors creentur; & si ita gesseris censuram, ut & debes, & potes: non tibi solum, sed tuis omnibus uideo in perpetuum summo te praesidio futurum. Illud pugna, & enitere, ne quid nobis temporis prorogetur: ut, cum hic tibi satisfecerimus, istic quoque nostram in te beneuolentiam nauare possimus. Quae de hominum, atque ordinum omnium erga te studijs scribijs ad me, minime mihi miranda, & maxime iucunda acciderunt: eademq. ad me perscripta sunt a familiaribus meis. itaque capio magnam uoluptatem, cum tibi, cuius mihi amicitia non solum ampla, sed etiam iucunda est, ea tribui, quae debeantur; tum uero etiamnum remanere in ciuitate nostra studia prope omnium consensu erga fortes, & industrios uiros: quae mihi ipsi una semper tributa merces est laborum, & uigilarum mearum. Illud uero mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius ego salutem duobus capitibus iudicij summa contentione defendi, ut, tuis inimicis suscipiendis, obliuisceretur patroni omnium fortuna

rum, ac rationum suarum; praesertim cum tu omnibus uel ornamentis, uel praesidijs redundares, illi (ut leuissime dicam) multa deessent: cuius sermo stultus & periculosus erat iam antea ad me a M. Coelio, familiari nostro, perscriptus; de quo item sermone multa scripta sunt abs te. ego autem citius cum eo, qui tuas inimicitias susceperat, ueterem coniunctionem direruissimam, quam nouam conciliauissem. neque enim de meo erga te studio dubitare debes: neque id est obscurum cuiquam in prouincia, nec Romae fuit. sed tamen significatur in tuis litteris suspicio quaedam, & dubitatio tua: de qua alienum tempus est mihi tecum exostulandi, purgandi autem mei necessarium. Ubi enim ego cuiquam legationi sui impedimento, quo minus Romam ad laudem tuam mitteretur? aut in quo potui, si te palam odissem, minus quod tibi obesset, facere? si clam, magis aperte inimicus esse? Quod si essent ea perfidia, qua sunt ij, qui in nos haec conferunt: tamen ea stultitia certe non fuisset, ut aut in obscuro odio apertas inimicitias, aut, in quo tibi nihil nocerem, summam ostenderem uoluntatem nocendi. Ad me adire quosdam memini, qui dicerent, nimis magnos sumptus legatis decerni. quibus ego non tam imperaui, quam censui, sumptus legatis quam maxime ad legem Corneliam decernendos. atque, in eo ipso me non perferuisse, testes sunt rationes ciuitatum: in quibus, quantum quaeque uoluit legatis tuis datum, induxit. Te autem quibus mendacis homines leuissimi onerantur? non modo sublatos sumptus, sed etiam a procuratoribus eorum, qui iam profecti essent, reperitos, & oblatos; eamque causam multis omnino non eundi fuisset. Querere tecum, atque exostularem, nisi, ut supra scripsi, purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accusare te, mallet, idque putarem esse rectius. itaque nihil de te, quod credideris; de me, quamobrem non debeueris credere, pauca dicam. nam, si me uirum bonum, si dignum istis studijs, eaque doctrina, cui me a pueritia dedi, si satis magni animi, non minimi consilij in maximis rebus perspectum habes: nihil in me non modo perfidiosum, & insidiosum, et fallax in amicitia, sed ne humile quidem, aut ieiunum debes agnoscere. In autem me astutum, & occultum lubet fingere: quid est, quod minus cadere in eius modi naturam possit, quam aut florentissimi hominis aspernari beneuolentiam; aut eius existimationem oppugnare in prouincia, cuius laudem domi defenderis; aut in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obis; aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum leuissimum? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis essem, cum te ex fratre meo ne tunc quidem, cum tibi prope necesse esset eas agere partes, inimicum mihi fuisse cognouissem? cum uero reditum nostrum in gratiam uterque experisset: quid in consulatu tuo frustra mecum egisti, quod me aut facere, aut sentire uoluisses? quid mihi mandasti, cum te Puteolis prosequerem, in quo non expectationem tuam diligentia mea uicerim? Quod si id est maxime astutum, omnia ad suam utilitatem referre: quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius, quam hominis nobilissimi, atque honoratissimi coniunctio, cuius opes,

opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno uel ornamento, uel praesidio esse possent? quae tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astitia quadam, sed aliqua potius sapientia secutus sum. Quid illa uincula, quibus quidem libentissime adstringor, quanta sunt? studiorum similitudo, suauitas consuetudinis, delectatio uitae, atque uictus, sermonis societas, litterae interiores. Atque haec domestica. Quid illa tandem popularia? reditus illustris in gratiam; in quo ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspitione perfidiae; amplissimi sacerdotij collegium, in quo non modo amicitiam uiolari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Quae ut omittam tam multa, atque tanta; quis umquam tanti quemquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium, socerum filiae tuae? etenim, si merita ualent: patriam, liberos, salutem, dignitatem, memetipsum mihi per illum restitutum puto. si consuetudinis incunditas: quae fuit umquam amicitia consularium in nostra ciuitate coniunctior? si ulla amoris, atque officij signa: quid mihi ille non commisit? quid non mecum communicauit? quid de se in senatu, cum ipse abesset, per quemquam agi maluit? quibus ille me rebus non orna-

uissimum uoluit amplissime? qua denique ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, aduersantem interdum actionibus suis? quo studio prouidit, ne qua me illius temporis inuidia attingeret; cum me consilio, cum auctoritate, cum armis denique rexisset? quibus quidem temporibus haec in eo grauitas, haec animi altitudo fuit, non modo ut Phrygi alicui, aut Lycioni, quod tu in legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum maleuolis de me sermonibus crederet. Huius igitur filius cum sit gener tuus; cumque, praeter hanc coniunctionem affinitatis, quam sis Cn. Pompeio carus, quamque incundus, intelligam: quo tandem animo in te esse debeo? cum praesertim eas ad me is literas miserit, quibus, etiam si tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen, totumque me ad eius uiri, ita de me meriti, uoluntatem, nutumque conuerterem. Sed haec haecenus: pluribus enim etiam fortasse uerbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quae a me perfecta, quaeque instituta sunt, cognosce. atque haec agimus, & agemus magis pro dignitate, quam pro periculo tuo. te enim, ut spero, propediē censorem audiemus: cuius magistratus officia, quae sunt maximi animi, summique consilij, tibi diligentius, & accuratius, quam haec, quae nos de te agimus, cogitanda esse censeo. Vale. *

EXPLANATIO

DE temeritate eorum, } Dolabellam significat, qui Appium accusauerat. **T**IBI negotium facefferent; } te accusarent. Negotium & pro re simpliciter capitur, ut alibi, & pro re molesta ac difficili, ut cum additur uerbum Faceffere. quid autem accusatione molestius, ac durius? In Verrem: Cum audissent ei negotium faceffertur. Pro Cluentio: Si cui forte negotium faceffertur. Faceffere periculum, in eadem sententia dixit in Diuinatione: Exhibere negotium, lib. III. Off. **U**T ME COLLEGI, } cum ad rationem me quieto animo reuocare coepi. Sic ep. 9. lib. I. Collegi ipse me, & cum ipsa quasi rep. sum collocutus. **C**ETERA } quod ad periculum accusationis attinet. **I**N TUIS } praesertim in Pompeio, eius filiae focero, & in Bruto genero: quos pro Appii absolute laborasse, patet ex epistola sequenti. **E**TIAM honori } in aduersis enim uirtus elucet, & ut aurum igne, sic innocentia sententij iudicium probatur. **E**REPTVM } recitemus Coelij uerba ex ep. 9. lib. IX. quae locum interpretantur: Non dubito, quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella rerum factum: sanequam non ea, qua existimaueram, inuidia: neque enim stulte Appius, qui, simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique postulationem abiecerat. quo facto retudit sermones; paratiorque uisus est, quam sperauerat, accusator. **E**GO semper iudicauit } nam, si triumphum exoptasset, consul non deposuisset. qua de re ep. 2. lib. V. copiose autem ep. 4. lib. XV. quin ipsa uerba recitabo: cur enim meo labori parcam; ut alios labore leuem? Si quisquam fuit umquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem sentire uideo, ratione, atque, ab inani laude, e sermonibus uulgi; ego profecto is sum. testis est consulatus meus: in quo, sicut in reliqua uita, fateor ea me studiose secutum, ex quibus uera gloria nasci possit. ipsam quidem gloriam per se numquam putauit expetendam. itaque & prouinciam ornata, & spem non dubiam triumphum neglexi. **V**ICTOR } absolutus. **T**RIVMPHVIVM, } tantum enim honorem, tantam laetitiam, absolutus, ex inimicorum dolore capies, quantum, si triumphans urbem introires. **N**ERVIS, } propter uirtutem tuam. translatio est a corpore ad animum. **O**PIBVS, } dixi iam, quantumcumque est, quo ualemus, Opum nomine totum significari. **C**ONTESTANS omnes deos, } testes uocans omnes deos. **P**ROMITTO, } ad Coelum etiam ep. 12. lib. 2. ita scripsit: Post hoc negotium, & temeritatem nostri Dolabellae, deprecatore me pro illius periculo praeebo. **M**ALO enim dicere, } ominis causa, dignitatem potius, quam salutem, nominat; ne periclitari Appius de salute uideatur. **G**RAUITATE, } imperatoris } ponderis enim plus habebunt officia mea, ob acceptam mihi ex imperatoris nomine dignitatem. **S**VSCEPTVRVM officia, } ne quis ex prouincia Romam iret, ut aduersus Appium testimonium diceret. hinc illud epistola sequenti: De mercenarijs testibus, a suis ciuitatibus notandis, nisi iam aliquid factum est per Flaccum, fiet a me, cum per Asiam decedam. **O**MNIA uolo a me & postules, & expectes. nuncam meis officijs cogitationes tuas. } non dissimilis illa sententia ep. 6. lib. I. A me omnia summa in te studia, officiaque expecta. non fallam opinionem tuam. Et hic infra: Quid mihi mandasti, in quo non expectationem tuam diligentia mea uicerim? **I**N IURIAM mihi fieri putabam, cum rogabar. } tale illud ep. 9. lib. I. Tuae res mihi tantae curae sunt, ut me nolim admoneri; rogari uero sine magno dolore uix possim. Ideo dixit ep. 13. lib. IX. Peto a te, uel, si pateris, S oro.

oro. Rogauerat autem Appium Cicero, ut praestaret sibi quicquid posset pro salute sua. & Coelius ep. 9. lib. IIX. Appius in te maximam spem habet. POMPEIVM, } focerum filiae tuae. VNVM ex omnibus } pluris facio, quam omnes. BRVTVM } M. Brutum, Appij generum. ep. 4. FACINVS, } quod non liceat. DEDECVS } quod non deceat. grauius autem Facinus, quam Dedecus. PONTINIUS, } C. Pontinius, Ciceronis legatus, praetorius, qui de Allobrogibus triumphauerat, Appio ipso consule adiuuante. ep. 16. lib. IV. ad Att. Erit cum Pontinio Appii consul. TRACTATVS est } quia consul Appius, ut proxime dixi, adiutor ei fuit in obtinendo triumpho. FIDE, } cum debitam amicitiae fidem praestitisti. A. ME. INVITISSIMO } sic malo, quam, Inuitissime. nam, Pontinium non libenter discessisse, uerba illa satis ostendunt, Maximis rebus suis coactus. nunc significationem suae uoluntatis, & amoris in Pontinium Cicero dat, cum inquit, A me inuitissimo. LAODICEAM } ut in prouincia operam daret, ne testes in Appium Roman irent. ex quo patet, accusatum Appium de rebus in prouincia gestis, quibus maiestatem populi Romani laesisse uideretur. AMPLITVDINI ista sollicitudo futura } idem alijs uerbis paullo ante, Istum laborem tibi etiam honori putarem fore. SI. VERO efficis, ut censores creentur; } quod si accidat; fore non dubitat, ut censor ipse Appius creetur. itaque subiungit, Et si ita gesseris censuram. creatus autem est cum L. Pisone, in quem exstat Ciceronis oratio. ep. 13. lib. IIX. de Diuinatione lib. I. Dio lib. XL. oratio contra Sallustium. ET POTES: } cum tibi neque animus, neque consilium desit. PROROGETVR: } ne quid ad hoc annum prouinciae munus temporis addatur. HIC tibi satisfecerimus, } paullo ante dixit, Promitto, atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute) in hac prouincia, cui tu praefuisti, rogando deprecatoris, laborando propinqui suscepturum officia, atque partes. NAVARE } praestare, tribuere. HOMINVM atque ordinum } epistola quoque 9. lib. I. coniunxit homines, & ordines: Cum me comitijs centuriatis, cunctis ordinibus, hominibusq. incumbentibus, omnibus denique suis uiribus resp. recuperasset. Ordines autem in ciuitate tres fuere, senatus, equites, plebs. MINIME miranda, & maxime iucunda } nec miror, & gaudeo, dixit ep. 1. lib. X. AMPLA, } ut mihi plurimis in rebus usui esse possit. IUCUNDA } ob multas suauitates. addidit enim, Iucunda; ne uideatur eum diligere dumtaxat humanitatis causa. VNA } una in primis. habet enim non tam definiendi, quam augendi uim. ADOLESCENTE, } Dolabella. DVOBVS capitis iudicijs } ep. XI. lib. VI. scribit se Dolabellae periculis non defuisse. Capitis autem iudicium fuit, quo libertas, aut ciuitas amittebatur. OBLIUISCERETVR } amicitiae, quae mihi tecum intercedit, rationem non haberet. VEL ornamentis, uel praesidijs } ijs rebus, quae uel ornamento, uel praesidio esse possunt: quas memorat ep. 13. lib. 2. Quid inquit, est causae, cur mihi non sit in optatis, complecti hominem florentem aetate, opibus, ingenio, liberis, propinquis, affinis, amicis? UT leuiss me dicam, } non dicam, omnia, sed, multa decesent. SERMO stultus, } dicebat fortasse, probari a Cicerone accusationem illam, hoc argumento, quod sibi tunc filiam suam collocasset. COELIO } hac Coelij litterae, quas hic Cicero significat, non exstant. nam in ijs, quas habemus, nulla sermonis huius Dolabellae mentio fit. de iungendo autem inter eum, & Tulliam, Ciceronis filiam, matrimonio, loquitur Coelius in duabus epistolis, 9. 12. lib. IIX. CONIUNCTIONEM } amicitiam, quae antea fuerat. ep. XI. lib. VI. NOUAM } nuptijs filiae conciliatam. NEQVE id est obscurum } multos enim, & illustres, & ex superiore, & ex aequo loco, sermones habitos esse cum summa Appij laude, dixit ep. 8. ALIENVM tempus est } ne satis grauem ex accusatione curam sustinenti hoc etiam addam molestiae. NECESSARIVM, } quia significatur in tuis litteris suspicio quaedam, & dubitatio. LEGATIONI } hac de re uide ep. 8. SI. CLAM, magis aperte inimicus esse? } si quis est, qui se ueteribus ita libris addixerit, ut locum coniecturae nullum relinquit; legat hic, Sic iam magis aperte inimicus essem. nam ita diferte ac plane in antiquioribus libris, etiam in illo Mediceo, scriptum est. sin perquirenda ueritas est, & licet a mendosis corrupta distinguere: dubitandum, opinor, non erit, quin hic pro, Sic iam, reponatur, Si clam; pro Essem, Esse. quod olim a singulari uiro, Petro Danefio, Parisiensi, Episcopo Vaurensi. quem ab adolescentia mea dilexi uehementer, & colui, acute animaduersum, ita probaui, ut imprimi uoluerm. neque haec postea coniectura hominibus eruditis, cum & ipsi has epistolas emendarent, displicuit. QVA sunt y, } ep. 8. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse; non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam. IN. OESCVRRO odio } si clam te odissem, quod proxime dicit. IN. QVO tibi nihil nocerem, } iterat illud, In quo potui, si te palam odissem, minus quod tibi obesset, facere? AD. ME adire quosdam memini, nimirum ex Epicæto, qui dicerent, } quis non uidet, abundare illud, Nimirum ex Epicæto? quod uitium nec olim in nostris libris haerere passus sum; & nunc eo magis in sententia confirmor, quod a ueteribus octo libris nostram opinionem uideo comprobari. Praeterea, non ex Epicæto, sed ex multis ciuitatibus ad Ciceronem adire, ut immoderatis sumptibus leuarentur. quod ep. 8. demonstratur his uerbis: Apameae cum essem, multarum ciuitatum principes ad me detulerunt, sumptus legatis decerni nimis magnos. NON. TAM imperaui, quam censui, } non tam hoc imperij, quam iudicij fuit. non hoc pro imperio feci, sed quod ita faciendum censui. AD. LEGEM Corneliam } sumptum uidetur lex Cornelia definisse, cum ad eorum laudem, qui prouincijs praefuissent, legationes Romam mitterentur. huc illud spectat, quod scriptum est ep. 8. Laudaturum me, si quis suo sumptu functus esset officio; concessurum, si legitimo; non permissurum, si infinito. RATIONES ciuitatum: } tabulae publicae, in quas accepti, expensiq. ratio refertur. INDVXIT. } usurpari solitum est hoc uerbum in expensis perferendis. eodem modo locutus oratione 2. in Rullum: Ut agros, inquit, a uobis met ipsis

met ipsis emptos, quanti uelletis populo Romano induceritis. Et in Verrem lib. I. Tutores, pecuniam praetori si pupillae nomine dedissent, grandem praefertim, quemadmodum in rationem inducere possent, non uidebant. **NON . MODO sublatos** } uetitos, edicto meo. **QUERERER** } quod leuissimis hominibus aures praebueris. ep. 8. Tua, quod audis, culpa nonnulla est. **HOC . TVO tempore**, } cum sis reus, nec addere laboranti molestiam debeam. ep. 9. lib. I. Scripsi tres libros de temporibus meis. ep. 6. lib. 2. Nouitate meorum temporum. Ad Att. ep. 12. lib. XI. Eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo. Non uidetur hoc loco, quod ad refellendas Grammaticorum inanes nugae pertinet, omitendum. Clamant, ac paene iureiurando confirmant, in ijs rebus, quae ad secundam personam referuntur, semper Iste, non Hic, usurpari solitum in Latina lingua. qui si diligenter, quam late pateat usus Latini sermonis, attendissent: non dubito, quin aliter sentirent. de Appij accusatione dixit hic Cicero, Hoc tuo tempore, non isto. & ad Furnium, ep. 25. lib. X. Haec ambitiosa festinatio. cum tamen de Furnij festinatione loqueretur. Coelius etiam ep. 8. lib. IX. Haec exiguitas copiarum: de prouinciali Ciceronis exercitu. Huius generis exempla, quae uitandae satietatis causa praetermitto, Cicero multa suppeditat: qui mihi uel unus pluris est, quam omnes Grammatici. **NIHIL de re**, } non contra te, sed pro me disputabo. **NIHIL in me** } multis argumentis ostendit, cur Appius maleuolorum sermonibus non debuerit credere. argumentum autem ducit primum a persona sua, cum ait, Nihil in me: deinde a persona Appij, cum subiungit, Florentissimi hominis: tum a tempore, in eo, Eius existimationem oppugnare in prouincia, cuius laudem domi defenderis: ab ipsa re, cum inquit, In ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obis: ab ingrati animi culpa, cum inquit, Quid erat autem: a constantia sua, Quid in consilatu tuo frustra mecum egisti: ab utili, Quid mihi tandem erat utilius? a studijs, a consuetudine, a litteris, Quid illa uincula: ab hominum opinione, Quid illa tandem popularia? postremo a Cn. Pompeij persona, Quis umquam tanti, &c. **PERFIDIOSVM & insidiosum**, } a quibus uitijs longe uir bonus abest, & is, qui se studijs tantis, liberaliq. doctrinae dederit. **HVMILE** } refertur ad illud, Si satis magni animi. **IEIUNVM** } ad illud, Non minimi consilij. cuius enim consilij est, ieiunum quiddam ad laedendum deligere, & ostendere uoluntatem nocendi, in quo nocere nihil possit? **AGNOSCERE**. } Agnoscere, & hic, & alibi non numquam uerum fateri, est. ep. 4. lib. IV. Illam partem excusationis nec agnosco, nec probo. **SIN astutum, & occultum lubet fingere**: } ep. 8. Quod si quis me astutior finit. **QVID est, quod minus cadere in eiusmodi naturam possit**, } ep. 8. Quid potest esse callidius &c. **FLORENTISSIMI hominis** } ep. 13. lib. 2. Quid est causae, cur mihi non sit in optatis, completi hominem florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis? **EIVS existimationem oppugnare in prouincia**, } idem ep. 8. **CVIVS laudem** } praefertim in supplicatione, de qua in ep. ult. **IN . QVA nihil obis**, } dixit idem paullo ante. Et similiter in Verrem: Ut coniecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuisse putaretis, in quibus rebus obesse mihi posset, cum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit. **NE . TVNC . QUIDEM** } ne tempore quidem exsulij mei, cum actum est de me restituendo. **PROPE necesse esset** } quia frater tuus, P. Clodius, me oppugnaret. **EAS agere partes**, } oppugnare salutem meam. **COGNOWISSEM?** } reuersus in patriam ab exsilio. **EXPETISSET**. } nam, qui in gratiam inuiri redeunt, rursus amicitiam facile discidunt. Utitur Cicero hoc uerbo ad tollendam occulti odij suspicionem. **TE Puteolis prosequer**, } in prouinciam proficiscentem: quod in more fuit. ep. 6. lib. XIII. Cum te prosequer paludatum. **IN . QVO non exspectationem tuam diligentia mea uicerim?** } supra, Vincam officijs meis cogitationes tuas. **AFFINES**, } maxime Pompeius, & M. Brutus. ep. 4. **ASTVTIA** } quod utilitatem meam spectauerim. **SAPIENTIA** } est enim sapientis, eius amicitiam expetere, in quo illa sint, quae proxime nominauit. **ATQVE haec domestica**. } Haec, quae commemorauit, priuata sunt, & inter nos: exponam nunc, quae publice nota sunt, ac populo patent. Atque, non copulat, ut alibi: sed concludit. ep. 1. lib. VI. Atque haec eo pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipsa uirtus se sustentare posse uideatur. Interdum & concludit, & uiam simul aperit ad aliam sententiam, aut ad aliam argumenti partem: ut Phil. I. Atque haec communiter cum collega: illa porro propria Dolabellae. Simile illud ep. 2. lib. XII. Sed haec tolerabilia: illud non ferendum. Et Phil. 2. Sed haec uetera, illud uero recens, Caesarem meo consilio interfectum. **QVID . ILLA tandem popularia?** } notanda transeundi ratio, colligata sententia unico uerborum ambitu, & inducto nouorum argumentorum initio: ut Tusc. I. Vetera iam ista, & religione omnium consecrata: quid in hac rep. tot, tantosq. uiros, ob remp. interfectos, cogitasse arbitramur? Et in Verr. lib. III. Priuatim hoc modo: quid publice? **REDITVS illustris in gratiam**; } cum enim clari in ciuitate uiri in gratiam redeunt, non potest esse obscura illa reconciliatio, praefertim ex grauissimis inimicitijs. accedit illud, quod, cum in gratiam per Pompeium rediissent, auctoritate, & opibus eximium, illustris eo quoque nomine reditus in gratiam fuit. rediisse autem in gratiam auctore Pompeio, ex epistola Ciceronis ad M. Brutum, cuius testimonio utitur Quintilianus, intellexi. **NE . PER imprudentiam quidem errari potest sine suspitione perfidiae**; } confirmat hoc, quod scripsit Coelius ep. 9. lib. IX. de Appio a Dolabella accusato: Cum quo simulates si tibi non fuissent, liberius tibi de tota re esset. nunc, si ad illam summam ueritatem legitimum ius exegeris: cauendum tibi erit, ne parum simpliciter, & candide posuisse inimicitias uidearis. Et in oratione pro Gabinio: Ego cum omnes amicitias tuendas semper putaui summa religione, & fide, tum eas maxime, quae essent ex inimicitijs reuocatae in gratiam: propterea quod integris amicitijs officium praetermissum, imprudentiae, uel, ut grauius interpretemur, negligentiae excusatione defenditur: post reditum in gratiam si quid est commis-

sum, id non neglectum, sed uiolatum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae assignari solet. **AMPLISSIMI sacerdotij** } auguratus. fuit enim uterque augur. ep. 4. & lib. 2. ep. 13. Amplissimum autem uocat sacerdotium, non quia ceteris praestaret; nam ea quidem dignitas pontificatus maximi fuit; sed quod esset inter amplissima. Pontificatum autem maximum uere sacerdotium amplissimum uocat Ph. 13. Augures autem inter sacerdotes fuisse, indicat Plinius lib. IIX. cap. 28. his uerbis: *Artem auguria fecere apud Romanos; & sacerdotum collegium uel maxime sollempne est.* **RESTITVTVM** } cum me ab exsilio reuocauit. **CVM . IPSE abesset,** } diu abfuit Pompeius, bellorum causa. gessit enim Hispaniense, Piraticum, Mithridaticum; cum Cicero aut magistratus gereret, aut certe senator esset. **CONTENTIONEM meam** } summum studium. ep. 9. lib. 1. Caesaris, ut illum defenderem, mira contentio est consecuta. ep. 6. lib. 2. Quantopere mihi esset, omni non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum. **PRO Milone,** } reo ob necem P. Clodij. **ADVERS ANTEM actionibus suis?** } Cicero enim pro Milonis, amicissimi sui, salute contendeat: Pompeius consul id, quod crep. esset, diligenter curabat: itaque, cum iudicium de Milone fieret, forum armatis militibus saepit: quod queritur Cicero in oratione pro Milone. **INUIDIA** } quia suspicio fuit, consilio Ciceronis Clodium a Milone interfectum: idq. Plancus, & Q. Pompeius tribuni pl. seditiosis concionibus persuadere populo conati sunt. **ARMIS denique texit suis?** } exercitum eo tempore Pompeius in urbe habuit, ne quid resp. ei commissa, detrimenti caperet. quam rem, ut nouam, & iniustam, accusat Caesar his uerbis lib. III. de bell. ci. Non nullos ambitus Pompeia lege damnatos, illis temporibus, quibus in urbe praesidia legionum Pompeius habuerat, in integrum restituit. Quod autem ait, *Texit*, explanatur hic locus epistola Balbi lib. IX. ad Att. in qua sunt haec: *Mihi placet, te ad eum scribere, & ab eo praesidium petere, ut petiti a Pompeio temporibus Milonianis. Praesidium autem illud Cicero petijt metu plebis ob Clodij necem concitatae.* **PHRYGI, aut Lycaoni,** } Phrygia, & Lycaonia ad prouinciam Ciliciam pertinuisse, uel hic locus ostendit. **FILIVS** } Cnaeus. nam Sextum Libonis filiae uirum fuisse puto: ut diximus ep. 4. **EAS . AD . ME litteras miserit,** } filium a Pompeio, non modo litteras, ad Ciceronem Appij causa missum iri, creditum est. ep. 9. lib. IIX. **ITA demeriti,** } cum mihi patriam, liberos, salutem, dignitatem, memet & ipsum mihi per illum restitutum putem. **QUAE a me perfecta, quaeq. instituta sunt, cognosce.** } alij, Perfecta. mihi placet, Perfecta: nec tamen placet sine auctoritate ueterum librorum. & recte coniunguntur; Quae perfecta iam, quaeq. instituta sunt. Cognosce, dixit, quia cum litteris commentarium mittebat de rebus a se pro Appio actis, & agendis. partem quidem ipsius epistolae desiderari nullam puto, quamquam alij contra sentiant. **MAGIS . PRO dignitate, quam pro periculo** } sic in principio huius epistolae: Me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute.) **AUDIEMVS:** } audiit, censor enim creatus est Appius, ut paulo ante ostendimus, cum L. Pisone. **MAGISTRATVS** } non proprie: si iurisdictio, aut imperium magistratum facit. nam neque ius dicebant censores, nec imperium habebant. **MAXIMI animi,** } cum censor summus uiros, etiam consulares, e senatu interdum eijceret. **SVMMI consilij,** } ualeat consilio censor, opus est, cum de uniuersa ciuitate iudicet, omniumq. plane ciuium notandorum potestatem habeat. **COGITANDA esse censeo.** } opinor hic adiuncta fuisse, quae a se perfecta, & instituta dixit.

Argumentum ep. II.

Gratulatur Appio, quod absolutus esset de maiestate: eundemq. fore exitum iudicij de ambitu confirmat. Cn. Pompeium, & M. Brutum effert laudibus, quod egregiam Appio fidem, ac beneuolentiam praestitissent. suam operam pollicetur ad eos notandos, qui testimonium in Appium pretio dixerant. Subiungit de statu reip. de auguralibus Appij libris, de suis litteris cum aliqua beneuolentiae significatione. Postremo adhortatur, ut in censura gentilem suum imitetur App. Claudium Caecum. Mistra est epistola; moralis, ubi gratulatur & hortatur; negotialis, ubi de testibus, de auguralibus libris, de Tullio, de litteris agit.

Cicero imp. S. D: Ap. Pulchro, ut spero, censori. II.

CVm esset in castris ad stuium Pyramum, red- quas ad me Q. Seruilius Tasso miserat. earum in altera
ditae mihi sunt uno tempore a te epistolae duae, tera dies erat adscripta nonarum Aprilium; in altera,
quae

quae mihi recentior uidebatur, dies non erat. respondebo tute, & officio cum tuorum necessariorum, meorum
igitur superiori prius: in qua scribis ad me de absolu- amicissimorum, tum maxime alterius omnium saeculo-
tione maiestatis: de qua es permultum ante certior- rum, & gentium principis, alterius iam pridem iuuen-
factus eram litteris, muncijs, fama denique ipsa: (nihil- tuis, celeriter, ut spero, ciuitatis. De mercenarijs te-
enim fuit clarus: non quo quisquam aliter putasset: sed- sibus a suis ciuitatibus notandis, nisi iam aliquid fa-
nihil de insignibus ad laudem uiris obscure nunciari so- etum est per Flaccum, fiet a me, cum per Asiam dece-
let) tamen eadem illa laetiora fecerunt mihi tuae lit- dam: Nunc ad alteram epistolam uenio. Quod ad me
terae. non solum, quia planius loquebantur, & uberius, quasi formam communium temporum, & totius reip.
quam uulgi sermo: sed etiam, quia magis tibi uidebar misisti expressam: prudentia litterarum tuarum ualde
gratulari, cum de te ex te ipso audiebam. Complexus est mihi grata: uideo enim & pericula leniora, quam it-
igitur sum cogitatione te absentem, epistolam uero of- tuebam, & maiora praesidia; siquidem, ut scribis, omnes
culatus, etiam ipse mihi gratulatus sum. quae enim uires ciuitatis se ad Pompeij ductum applicauerunt.
a cuncto populo, a senatu, a iudicibus ingenio, industriae, ut tuumq. simul promptum animum, et alacrem perspexi
uiruti tribuuntur: quia mihi ipse assentor fortasse, cum ad defendendam remp. mirificamq. cepi uoluptatem ex
ea esse in me fingo; mihi quoque ipsi tribui puto: nec tam hac tua diligentia; quod in summis tuis occupationibus
gloriosum exitum tui iudicij castuisse, sed tam praeuam mihi tamen reip. statum per te notum esse uoluisi. Nam
inimicorum tuorum mentem fuisse mirabar. De ambitu augurales libros: ad commune utriusque nostrum orium
tu uero quid interest, inquires, an de maiestate ad remo serua. ego enim a te cum tua promissa per litteras flagi-
nihil: alterum enim non attigisti, alteram auxisti. ue- tabam, ad urbem te otiosissimum esse arbitrabar. nunc
rum tamen est maiestas, ut Sulla noluit, ne in quemuis itamen, ut ipse polliceris, pro auguralibus libris oratio-
impune declamare liceret. ambitus uero ita apertam nes tuas consecras omnes expectabo. Tullius, cui man-
nim habet, ut aut accusetur improbe, aut defendatur. data ad me dederas, non conuenerat me: nec erat iam
qui enim facta, aut non facta largitio ignorari potest? quisquam mecum tuorum, praeter omnes meos, qui sunt
tuorum autem honorum cursus cui suspectus umquam omnes tui. Stomachosiores meas litteras quas dicas
fuit? me miserum, qui non affuerim. quos ego risus ex- esse, non intelligo. bis ad te scripsi, me purgans diligen-
citassem. Sed de maiestatis iudicio duo mihi illa ex tuis. ter, te leuiter accusans in eo, quod de me cito credidisses.
litteris iucundissima fuerunt: unum, quod te ab ipsa rep. quod genus querellae mihi quidem uidebatur esse amici;
defensam scribis; quae quidem etiam in summa bono- sin tibi displicet, non utar eo posthac. sed, si, ut scribis,
rum, & fortium ciuium copia tueri tales uiros deberet; in eae litterae non fuerunt disertae: scito meas non fuisse.
nunc uero eo magis, quod tanta paenuria est in omni uel- ut enim Aristarchus Homeri uersum negat, quem non
honoris, uel aetatis gradu, ut tam orba ciuitas tales tu- probat: sic tu, (libet enim mihi iocari) quod disertum non
tores complecti debeat, alterum, quod Pompeij & Brutii erit, ne putaris meum. Vale, & in censura, si iam es
fidem, beneuolentiamq. mirifice laudas. Laetor uir- censor, ut spero, de proauo multum cogitato uno.

EXPLANATIO

PYRAMVM, } Ciliciae fluuium. **MAIESTATIS.** } quo eum crimine Dolabella reum fecerat.
PERMULTVM ante } respuunt hoc aures meae, cum Latini sermonis consuetudo, Permulto an-
te, requirere uideatur. quamquam, Valla quid scripserit, non me fugit, sed in antiquis fero omnia, (quam-
quam, mendosa non esse, quis praestat?) non omnia tamen imitor. **INSIGNIBVS** ad laudem uiris }
Insignia ad maximam laudem, dixit etiam in Oratore. **COMPLEXVS** } prae gaudio ex tua absolu-
tione suscepto. **DE AMBITU** uero quid interest, inquires, an de maiestate? } haec uenit Appio, iudicio
maiestatis absoluto, gratulatus est Cicero: deinceps bene ominatur de ambitu iudicio, quod supererat.
aeque enim in utroque crimine expertem culpae esse Appium ostendit: ipsumq. inducit hoc modo interro-
gantem. Putas idem esse, de ambitu, & de maiestate absolui, an aliquid interesse? id est: qui exitus fuit iu-
dicij de maiestate, eundem ne fore putas eius iudicij, quod de ambitu fiet? Respondet Cicero. Ad id, quod
agitur, ad causam tuam nihil interest. nam, etsi diuersa sint crimina; nec necesse sit, qui de maiestate ab-
soluatur, eundem absolui de ambitu: tamen, cum tu maiestatem auxeris, ambitum non attigeris, quis eun-
dem iudicij exitum non expectet? Absoluta hac parte, quae tum ad gratulationem facti iudicij, tum ad
amouendam futuri molestiam pertinet, conuertit Cicero orationem contra Dolabellam; ut Appium du-
plici afficiat gaudio, primum ex ijs, quae de ipso iam dixit, deinde ex ijs, quae in eius accusatorem dicturus
est. Verumtamen, inquit, ex duobus criminibus, quae tibi obiecit accusator, alterum in ipsum potius con-
ferendum uidetur; cum sit maiestas, ut Sulla sua lege sanxit, ne in quemuis impune declamare liceat; ille
uero te prorsus innocentem, ut ostendit iudicij exitus, accusauit: itaque lege Cornelia puniendus: ab al-
tero autem cum te longissime abesse omnes iudicent; (honorum enim tuorum cursus cui suspectus umquam
fuit?) sequitur, ut improbe te Dolabella, maleuolentia impulsus, accuset. **DECLAMARE** } palam
maledicere, ac de fama detrahere. quod si maiestatis crimen est: multo magis, cum homo innocens accusa-
tur. **AMBITVS** } ambitum esse, cum honores pecunia quaeruntur, ignorat nemo. **ITA apertam**
nim habet, } hoc loco Vim accipio pro natura: ut sit quasi ambitus definitio. sic locutus lib. 1. Off. Duplex
est uis animorum, atque natura. et in Orat. Eloquentiae uim, & naturam explicemus. **IMPROBE,** } Im-
probus est, uel qui ambitum accusat, uel qui defendit. cum enim largitio facta, aut non facta ignorari no-
possit; nemo uir bonus eius delicti nomine quemquam accusabit, quo cum uacare satis liqueat. rursus no-

cens reus improbe defendet, quod multorum testimonio probetur. improbus igitur Dolabella, qui te de ambitu accuset, cuius honorum cursus nemini suspectus umquam fuit. Hoc totum pro Appio contra Dolabellam, generum suum, tempori seruiens Cicero collegit: quod factum excusat in epistola ad Coelium lib. 2. his uerbis: Quid, si meam legas, quam ego tum ex tuis litteris misi ad Appium? quid agas? sic uiuitur. **RISVS** } patefacta, atque exagitata accusatoris tui leuitate, ac stultitia. **BONORVM, & fortitium** } nam neque timida probitas, neque improba fortitudo utilis reip. **VEL aetatis** } non modo honoris, uerum etiam aetatis. **ORBA** } ut orbatu parentibus pupilli suos tutores caros habent, incolumesque esse cupiunt. **POMPEII, & Bruti** } unam ex duabus Appij filijs uxorem duxerat Cn. Pompeij filius, alteram M. Brutus. ep. 4. Brutus uero & laudauit reum Appium, & defendit. illud ex Diomede, hoc ex libro de claris Orat. constat. **FIDEM**, } affinitati debitam. **VIRTUTE, & officio** } uirtute, quod potuerint; officio, quod uoluerint, ac laborauerint. **OMNIVM saeculorum, & gentium principis**, } eundem ornauit laude singulari, ep. 7. **Quem omnibus**, qui umquam fuerunt, antepono. **INVENTVTIS**, } uere. nam probitate, doctrina, animi magnitudine, studio in remp. neminem cum M. Bruto conferendum fuisse, quis negabit? **MERCENARIIS** } qui mercede conducti ex Asia Romam iuerant, ut in Appium testimonium dicerent. **PER Flaccum**, } cum loquatur de ijs, qui ex prouincia, cui praefuerat Appius, contra eum Romam profecti erant: non possum suspicari, Flaccum propraectorem esse. nam eandem prouinciam Cicero post Appium rexit. aliquis fortasse de Ciceronis cohorte fuit, in Asiam ab eo missus, ut mercenarios testes a suis ciuitatibus notandos curaret. **PER Asiam** } nunc enim erat in Cilicia. **QUASI formam** } translata uerba, ne asperitatem habeant alieno loco, molliuntur praepositis aduerbijs, **Quasi, Tamquam, Veluti, & similibus**. Forma est, ad cuius exemplar aliquid fit, ut aedificium. sed forma transfertur ad multas res, & usurpatur ita saepe, ut iam in proprii fere uerbi naturam transierit; itaque nihil interdum, molliendi causa, Cicero praeposit, ut ep. 8. lib. 2. Abs te future expecto: ut ex tuis litteris cum formam reip. uiderim, quale aedificium futurum sit, scire possim. **COMMVNIVM** } quae ad omnes aequae pertinent. **QUAM timebam**, } hoc anno, idest L. Paullo, M. Marcello cos. disidere coepit a Caesare Pompeius, sero timens, quem ipse cum antea semper, tum biennio ante consul tertium auxerat. ep. 6. lib. VI. **MAIORA praesidia**, } potest hoc quoque ad illud referri, **Quam timebam**. **SEAD Pompeij ductum applicauerunt**. } ut Pompeius, tamquam dux, omnia regeret. **REMP.** } quae putabatur esse in partibus Pompeij. **NAM** } alibi, Nam, causam rei antecedentis demonstrat, hic ad aliam sententiam transiit: ut ep. 9. lib. I. Nam, de Appio quod scribis. & ep. 16. lib. 2. Nam, quod rogas, ut respiciam generum meum. Et ep. 32. lib. 7. Nam, de iudicij quod quereris, multo laboro minus. **AVGVRALES libros** } quos Appius de iure augurali ad Ciceronem scripserat. ep. 4. & 9. ad Att. autem lib. X. ep. 7. Auguria, inquit, me incitant ex quadam spe non dubia, non haec collegij nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrannis. Festus in uerbo Sollistimū. **TVA promissa** } reliquos augurales libros, primo antea misso, quos Cicero ep. 9. petierat his uerbis: Velim, reliquum quod est promissi, ac muneris tui, mihi persoluas. **ADVRBEM** } eorum more, qui ex prouincia cum imperio reuersi ad urbem expectant, ut eis triumphus decerneret. ep. 8. Videbam te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturum. **OTIOSISSIMVM** } non, ut postea cognouit, accusationis cura impeditum. ex quo diutius ad urbem otiose permanere Appio non licuit; sed, abiecta triumphipostulatione, urbem ingressus est. ep. 9. lib. IIX. **ORATIONES tuas** } uel quas habuit pro se ipso in maiestatis iudicio, quo erat absolutus: uel quibus antea uarias causas defenderat. nam eum in Bruto nominat Cicero inter oratores, ac laudat his uerbis: Ap. Claudius, collega, & familiaris meus, & satis studiosus, & ualde, cum doctus, tum exercitatus orator, & cum auguralis, tum omnis publici iuris, antiquitatisque nostrae bene peritus. **TULLIVS**, } non uidetur hic esse L. Tullius legatus, de quo ep. 3. lib. XV. & ad Att. ep. 4. II. 2 I. lib. V. sed potius ex familiaribus Appii, quod Ciceronis uerba demonstrant. fuere igitur quinque Tullij, praeter Ciceronum nostrum. hic, familiaris Appij, & L. Tullius legatus, & M. Tullius scriba, de quo ep. 20. lib. V. & L. Tullius Montanus, de quo ep. 50. ad Att. lib. XII. **BIS ad te scripsi**, } duas epistolas significat, 8. & 10. in quibus leuiter Appium accusat, quod improborum sermonibus crediderit. nam de uitato congressu queritur ep. 6. de Appianorum uero aedificatione impedita purgat se ep. 7. **QUOD genus querellae** } non enim te, quod improbus ipse esses, sed quod improbis credidisses, accusaui. **DISERTAE**, } ornateloquentes. **ARISTARCHVS** } grammaticus Alexandrinus Aristophanis discipulus, ut in Carisio, & Suida legimus. is Homeri uersus iudicauit, ut ueros ab adulterinis secerneret. ep. 10. lib. IX. **PROAVO** } Ap. Claudio Caeco, qui cenfor aquam Claudiam in urbem perduxit, anno urbis CDXLII. sed is antiquior, quam proauus. parum enim subtiliter Cicero temporum rationem examinat. Quid, quod idem in huius App. Caeci mentione non solum ab historia discrepat, cum appellet hic proauum, qui longiore distat interuallo, sed ipse etiam sibi non constat: nam, quem in hac epistola proauum, in oratione de haruspicum responsis abauum Clodij uocat. Ne id quidem sentis, inquit, coniuuentes illos oculos abauum tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantis sororis? Fuit autem Ap. Caecus P. Clodij non proauus, aut abauus sed tritauus: quod ex fastis maxime Capitolinis licet colligere. similis *auisogonia* Ciceronis in oratione pro domo cognoscitur. C. Atinius, inquit, bona Q. Metelli, aui tui, Q. Metelle, consecrauit. Metellum Macedonicum, (hunc enim significari, ex Plinio lib. VII. cap. 44. & epitome Liuiana lib. LIX. cognouimus) auum appellat Q. Metelli Nepotis, qui tum consul erat: cum proauus eius, non auus, fuerit. nam Macedonicus filius Balearicus genuit Nepotem, patrem huius Nepotis, quem Cicero appellat: quod Peditianus in commentario Cornelianae, & fasti etiam Capitolini declarant.

Argumentum ep. 12.

GRatulatur Appio de absoluteione ambitus: excusat filiae nuptias, quam
accusator Appij Dolabella uxorem duxerat: seq. ait ea causa diligentio-
riorem ad benevolentiam declarandam esse factum.

Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro. 12.

CRATVLAVOR tibi prius; (ita enim rerum
ordo postulat) deinde ad me conuertat. Ego uero
nebenebementer gratulor de iudicio ambitus; neque id, quod
nemini dubium fuit, absolutum te esse; sed illud, quod,
quo melior ciuis, quo uir clarior, quo fortior amicus es,
quoq. plura uirtutis, industriae ornamenta in te sunt, eo
mirandum est magis, nullam ne in tabellae quidem late-
tebra fuisse absconditam maleuolentiam, quae te impu-
gnare auderet. non horum temporum, non horum homi-
num, atque morum negotium. nihil iam sum pridem
admiratus magis. De me autem suscipe paulisper meas
partes, & eum te esse finge, qui ego sum. si facile inuene-
ris, quod dicas; noli ignoscere haesitationi meae. Ego
uero uelim mihi, Tulliaeque meae, sicut tu amicissime, &
suauissime optas, prospere euenire ea, quae me insciente
facta sunt a meis: sed ita cecidisse, ut agerentur eo tem-
pore, spero omnino cum aliqua felicitate, & opto; ue-
rumtamen plus me in hac spe tua sapientia, & huma-
nitas consolatur, quam opportunitas temporis. itaque,
quemadmodum expediam exitum huius insituta orati-
onis, non reperio. neque enim tristius dicere quidquam
debeo ea de re, quam tu ipse omnibus optimis prosequeris.
neque non me tamen mordet aliquid: in quo unum
non uereor, ne tu parum perspicias, ea, quae gesta sunt, ab
alijs esse gesta, quibus ego ita mandaram, ut, cum tam

longe absfuturus essem, ad me ne referrent, agerent quod
probassent. In hoc autem mihi illud occurrit: quid tu igitur,
si affuisses? rem probassem. de tempore, nihil te inui-
to, nihil sine consilio egissem tuo. Vides sudare me, iam
dudum laborantem, quo modo ea tuear, quae mihi tu-
enda sunt, & te non offendam. leua me igitur hoc onere:
numquam enim mihi uideor traxisse causam difficilio-
rem. sed tamen sic habeto: nisi iam tunc omnia negotia
cum summa tua dignitate diligentissime confecissem:
tamen si nihil uidebatur ad meum erga te pristinum stu-
dium addi posse; tamen, hac mihi affinitate renunciata,
non maiore equidem studio, sed acrius, apertius, signifi-
cantius dignitatem tuam defendissem. decedenti mihi,
& iam imperio annuo terminato, ante diem III. non.
Sext. cum ad Sidam nauis accederem, & mecum Q.
Seruilius esset, litterae a meis sunt redditae. dixi statim
Seruilio, (etenim uidebatur esse commotus) ut omnia
a me maiora expectaret. quid multa? beneuolentior
tibi, quam fui, nihilo sum factus, diligentior quidem ad
declarandam beneuolentiam multo. nam ut uetus nostra
simultas antea stimulabat me, ut cauere, ne cui sus-
picionem fide reconciliatae gratiae darem: sic affinitas
nouam curam mihi affert cauendi, ne quid de summo meo
erga te amore detractum esse uideatur. Vale.

EXPLANATIO

VIRTUTIS, industriae; multis rebus ornat uirtus, & industria: sed multis uirtute praeditis non num-
quam defuit industria; qua excellunt ij, qui & prompte res aggrediuntur, & diligenter perficiunt. **NE**
IN tabellae quidem latebra; in tabellis, quibus iudices absoluebant, aut condemnabant reos, latere pote-
rat maleuolentia. quis enim sciret, a quo damnatus esset? quae tamen in tabellis occulte impugnare Appiū
maleuolentia potuit, nulla fuit: quoniam sententijs omnibus absolutus est. **NON HORVM temporum,**
non horum hominum, atque morum; tempora sunt inimica uirtuti, hominum uoluntas ad flagitium propen-
sa, mores consuetudine corrupti. quis igitur exitū iudicij tui tam gloriosum exstitisse non miretur? **DE**
ME autem; Quod autem ad filiam meam, accusatori tuo collocatam, pertinet: suscipe meam personam, sicut
potes te esse, qui ego sum. tum intellige, mihi ignoscendum esse, nunc haesitanti. quia nec tu facile inuene-
ris, quod dicas. haesiro autem, quia neque possum dicere probari a me nouam affinitatem, quae cum accu-
satore tuo contracta sit; nec improbare debeo, ne malis omnibus prosequar eam rem, quam tu quoque
mihi prospere cupis euenire. **EVM TE esse finge, qui ego sum.** ep. 23. lib. VII. Fac quae so, qui ego sum,
esse te. **SI FACILE inueneris;** tibi accidet, quod nunc mihi, ut non inuenias, quod dicas. ita intelli-
ges, ignoscendum nunc esse haesitationi meae. quod si inueneris, quod dicas: ne ignosce. **HAESITATIO**
NI meae; quia non possum explicare, utrum malle, factas, an infectas cum Dolabella nuptias. si factas,
laedi uideatur amicitia nostra, cum accusatoris tui affinitatem probem: si uero infectas, non ominabor opti-
me de filiae coniugio. quod cum ita sit; aequum est, a te ignosci haesitationi meae. sin aliter sentis: finge te
esse, qui ego sum; tu quoque haesitabis. **SED ITA cecidisse;** sed quod ita ceciderit, ut agerentur eo tem-
pore, cum tu reus esses; omnino felicitatem aliquam & spero, & opto; uerumtamen cum hac spe coniunctus
dolor est, quod acta sint eo tempore, quo ego minime uoluissim: quem mihi dolorem minuit sapientia, &
humanitas tua: sapientia, quod, cum perspicias, hanc rem, me insciente, a meis esse factam, prorsus omni me
culpa

culpa liberandum intelliges: humanitas, quod nihil te durius de me suspicari tua natura patietur. *Oportunitas temporis.* non enim oportuno tempore facta res est. itaque, ut rem ipsam probem, tempus tamen probare non possum. *Ea de re,* denuptijs. *Neque* non me tamen mordet aliquid: } quiddam tamen est, quod moleste feram, hoc uidelicet, quod, quo tempore Dolabella tuam salutem oppugnabat, eo sit a meis ei filia mea in matrimonio collocata. *In quo* unum non uereor, } in quo unum certo scio, non te parum perspicere &c. *Ab alijs* a M. Coelio. ep. 9. lib. IIX. tres antiqui libri, Ab illis: quinque Ab alijs. *Tam longe* } in prouincia. *Ad me ne referrent,* } falsum: nam retulit ad eum Coelius. ep. 9. lib. IIX. *Rem probassem:* } probaria se rem ostendit, ne male ominetur proxime: Neque enim tristius dicere quidquam deo, ea de re, quam tu ipse omnibus optimis prosequeris. *De tempore,* } utrum affinitas cum Dolabella, quo tempore Appium accusabat, iungenda, an post exitum iudicij reicienda; ne quid Appio eius conjugij fama, propter auctoritatem, & gratiam Ciceronis, apud iudices noceret. *Laborantem,* } cum non facile reperiat, quod dicat in ea re, quam neque improbare uult, ne filiae nuptias omine parum laeto prosequatur, neque improbare audeat, ne Appium offendat. ideo, se haesitare iam dixit, & instituta orationis exitum non reperire. *Tam tunc* } cum ex amicorum litteris de Dolabellae, & filiae matrimonio cognoui. *Omnia negotia* } quae pro Appij absolutione in maiestatis iudicio facere poterat. nam, quod ad ambitum pertinet, nullum Ciceronis prouinciale negotium ei prodesse poterat: cum ambitus largitio sit in urbe facta obtinendi honoris gratia. *Stadio,* } ad animum pertinet, ac uoluntatem: ad operam autem id, quod subiunxit, Acrius, apertius. quod paullo post declarat his uerbis, Beneuolentior tibi, quam fui, nihilo sum factus, diligentior quidem ad declarandam beneuolentiam multo. *Anno* } annuum erat prouinciarum imperium. de qua re in ep. 7. lib. I. *Decedenti* } primus decessiois dies fuit, III. Kal. Sext. ut apparet ex ep. 6. & ad Att. ep. 15. lib. v. ep. 3. lib. VI. *Ante diem III. non.* } perinde est, ac si dixisset, III. non. id ex lib. XVI. ep. 5. ad Tironem intelligi facile potest. Ante diem III. non. ueteres dicebant, id est, die tertio ante nonas. nam, cum dicitur, III. non. cōcisa locutio est: quae integra esset, si diceres, III. die ante nonas. qua non utebantur antiqui, sed eius loco, Ante diem III. nonas. *Sidam* } maritima partem prouinciae uocat ep. 5. *Seruilis* } amicus Appij; qui fortasse ierat in prouinciam, tum ut Appium Ciceroni praefens commendaret; tum etiam ut hominum prouincialium odia in Appium leniret; ne Romam, dicturi aduersus eum testimonia, proficiscerentur. quibus enim rapinis prouinciam Appius exhaustam reliquerit, qui gemitus consecuti, scribit ad Att. Cicero ep. 15. & 16. lib. v. & ep. I. lib. VI. *Beneuolentior, quam fui, nihilo sum factus,* } diligentior quidem ad declarandam beneuolentiam multo. } similis locus ep. 60. lib. 13. Cuius calamitas etiam officiosorem me facit in illum: nam beneuolentior quam semper fui, esse non possum. *Vetsus* } quae ante annos aliquot esse coeperat, quo tempore inter Ciceronem, & P. Clodium, Appij fratrem, exortae inimicitiae sunt, M. Pifone, M. Messalla cos. ad Atticum ep. I. lib. I. *Simultas* } similitas ocultum, & mediocre post beneuolentiam odium est. *Stimulabat* } non similitas, quae tunc nulla erat, sed eius memoria. *Ficte reconciliatae gratiae* } ideo scripserat Coelius ad eum ep. 9. lib. IIX. Cauendum tibi erit, ne parum simpliciter, & candide posuisse inimicitias uidearis. *Affinitas* } Dolabellae, Appij accusatoris.

Argumentum ep. ult.

Agit Appio gratias, quod supplicationem sibi decernendam studiose curauerit. gratulationem autem diuidit in quattuor partes; in officia sua, quibus meritum se esse ostendit, ut Appius in re simili parem operam, beneuolentiamq. nauaret; in Appij benignitatem, qui acceptam gratiam quasi cum fenore reddiderit; in eiusdem laudem, quod ea studia, quae a talibus uiris proficiscantur, uirtuti tantum tribui solita sint, ideoq. rebus omnibus anteponenda uideantur; in remunerandi uoluntatem, siue possit in publicis rebus, siue in primatis gratum animum ostendere. Absoluto gratulationis officio, pauca subiungit de dolore suo ex inimicijs Appij, & Dolabellae: se tamen eos reconciliandi curam suscepisse, nihilq. de suo pristino in Appium studio, ob nouam Dolabellae affinitatem, detractum esse confirmat. Postremo loco, epistolae breuitatem cum Appij laude excusat.

Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro.

13.

QVASI diuinarem, tali in officio fore mihi ali-
quando expectandum studium tuum; sic, cum de
tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo. di-
cam tamen uere: plus, quam acceperas, reddidisti. quis
enim ad me non perscripsit, te non solum auctoritate
orationis, sententia tua, quibus ego a tali uiro contentus
eram, sed etiam opera, consilio, domum ueniendo, con-
ueniendis meis, nullum onus officij cuiquam reliquum
fecisse? haec mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa,
propter quae haec laborantur. **INSIGNIA** enim uir-
tutis multi etiam sine uirtute assecuti sunt: talium uiro-
rum tanta studia assequi sola uirtus potest. itaque mihi
propono fructum amicitiae nostrae ipsam amicitiam,
qua nihil est uberius, praesertim in ijs studijs, quibus

uterque nostrum deuinctus est. nam tibi me profiteor &
in rep. socium de qua idem sentimus; & in quotidiana
uita conuictum cum ijs artibus studijsque, quae colim-
us. uelim ita fortuna tulisset, ut, quanti ego omnes
tuos facio, tanti tu meos facere posses: quod tamen ip-
sum, nescio qua permotus animi diuinatione, non de-
spero. sed hoc nihil ad te: nostrum est onus. illud uelim sic
habeas, quod intelliges; hac re nouata, additum potius
aliquid ad meum erga te studium, cui nihil uidebatur
addi posse, quam quidquam esse detractum. Cum haec
scribebam, censorem iam te esse sperabam: eo breuior est
haec epistola, & ut aduersus magistrum morum, mo-
destior. Vale.

EXPLANATIO

QVASI. DIVINAREM, in ipso litterarum exordio a suis in Appium officijs beneuolentiam ca-
pitat: quod mire ualet ad id, quod petimus, impetrandum. Incipit autem, Quasi diuinarem; quia,
cum Appio supplicationem curauit, reuera de prouincia non cogitabat: itaque dixit ep. 2. Cum
& contra uoluntatem meam, & praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciam profici-
sci necesse esset. Ita & auget officium suum erga Appium, & se ipsum ambitione liberat. **TALI** in offi-
cio } in supplicatione. **DE TUIS** rebus gestis } pro quibus supplicationem petebas. **INSERVIE-
BAM** } hoc uerbo summa diligentia declaratur, quam domino serui debent, & nisi sint improbi, praes-
tant. **PLUS**, quam acceperas, reddidisti. } probitatis est, acceptum beneficium non dissimulare: libera-
litate, etiam augere uerbis: idq. genus omnino quoddam est gratiae referendae, quo hic utitur Cicero.
Est autem praeclara inter eos consuetudo, qui mutuis officijs amicitias ita colunt non ut paria paribus, sed
ut maiora, quam acceperunt, reddere conentur. ita, quos fructus amor parit, iisdem alitur, atque augetur,
nec umquam aut sine amore fructus, aut sine fructibus amor est. In Bruto: Illud Hesiodus diu laudatur
a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatior, si possis. Et lib. 1.
Off. Si ea, quae acceperis utenda, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam
beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam accepe-
runt? Ad Att. ep. 12. lib. xv. **QUIS** enim ad me non perscripsit, } tribus modis hanc explicare sententiam
potuit, uel affirmantibus uerbis, hoc modo, Omnes ad me perscripserunt: uel geminata negatione, sic, Ne-
mo ad me non perscripsit: uel interrogando: quod fecit: quia modus hic efficacior est, quam reliqui duo,
& ad significandum ualet plurimum. **AUCTORITATE** orationis, } quae ceteros commouere potuit.
cuius enim uita probatur, cuius in priuatis, publicisq. cognita uirtus est, eius exemplo facile ducuntur om-
nes. **SENTENTIA** } qua Ciceroni supplicationem decreuit. **DOMVM** ueniendo, } ad magistratus,
ut eos de supplicatione Ciceronis rogaret. ep. 9. lib. 1. Nostrum studium exstabit in conueniendis magistra-
tibus. **NVL LVM** onus officij cuiquam reliquum fecisse? } nihil cuiquam faciendum reliquisse, plane omnia
fecisse mea causa. **HAEC MIHI** ampliora multo sunt, } Appij amorem supplicationi, atque adeo re-
bus omnibus, quae proficisci ab amore possint, anteponit. non enim amor ob utilitatem, sed utilitas ob
amore aestimanda. **QVAM** illa ipsa, } similem sententiam usurpauit in re dissimili, lib. 1. de Leg. Sunt haec
maiora, quam illa ipsa, quorum haec causa praeparantur. **LABORANTVR**, } cum labore fiunt. **VSUS**
est eodem uerbo nescio quo libro, ex quo Lactantius lib. vii. cap. ii. haec recitat: Nihil est, quod sit ma-
nibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur. Elaborari, dixit ep. 16. lib. ix.
INSIGNIA uirtutis, } honores. **SOLA** uirtus } testimonium uirtutis mihi das, cum haec mea caus-
sa facis. quam ego laudem pluris, quam illa ipsa, in quibus operam, ac studium ponis, debeo aestimare.
MIHI propono fructum amicitiae nostrae ipsam amicitiam, } alij fructum sibi proponunt amicitiae, honores,
commoda, aliquid omnino: ego, praeter ipsam amicitiam, nihil specto: in ea mihi statuo omnes fructus.
quanti enim apud me esse debet, quod tu me diligas, cum talium uirosum tanta studia assequi sola uirtus
possit? Simile illud in Laelio: Amicitiam, non spe mercedis adducti, sed quod eius omnis fructus in ip-
so amore inest, expetendam putamus. **QVANI HIL** est uberius, } cur ego alios mihi fructus amici-
tiae nostrae proponam, cum neque fructum ullum cum ipsa amicitia conferendum, neque tamen ea quid-
quam uberius, aut fructuosius existimem? **STVDIJS**, } litterarum: magna esse potest in omnibus re-
bus, maxima uero in communibus studijs ubertas amicitiae nostrae. Tacite ostendit Cicero, quanti fece-
rit eum librum, quem de iure augurali Appius ad eum scripserat: idq. sibi curae esse, ut simili eum mune-
re remuneretur. ep. 4. & 9. **DEVINCTVS** est. } eadem metaphora usus est ep. 10. Quid uincula,
T quibus

quibus quidem libentissime adstringor, quanta sunt? studiorum similitudo. &c. CVM . IIS aribus, gratiam inquit ab Appio promissa studiorum coniunctione: quod & eius doctrinam magni facere, & ad eius honorem ac laudem uelle sua studia conferre uideatur. OMNES tuos } callide hoc iniecit. non enim id solum indicat, quam inique ferat Appium a Dolabella reum factum; sed etiam, cum ipse, grauer laesus, tamen in gratiam cum omnibus Appij propinquis, idest cum omnibus Clodij, redierit, idq. ipsius Appij causa fecerit, uicissim eum debere tanti Ciceronis amicitiam facere, ut eius generum Dolabellam odisse desinat. NON despero. } petere aperte non audet, ut Dolabellae reconcilietur: sed modeste petit, & Appij humanitati confidere uideatur, cum ait, Non despero. NIHIL ad te: } habet rationem Appij dignitatis, quia pluris facere adolescens Dolabella Appii amicitiam, uiri in primis honorati, quam contra Appius Dolabellae, debebat: accedebat aequitas: utrum enim decet, eum, qui iniuriam intulit, an eum, qui accepit, de reconciliatione laborare? NOSTRUM est onus. } ego efficiam, ut reconciliationis initia a genero meo proficiantur. INTELIGES; } re ipsa perspicias. HAC RE nouata, } quod mihi Dolabellam affinitate deuinxerim. ADDITVM potius aliquid } in proxima epistola nihil ad studium, ac beneuolentiam, sed ad uoluntatem quidem beneuolentiae declarandae multum esse additum dixit. ADVERSVS magistrum morum, } coram magistro morum. quasi epistola censorem alloquatur. modeste enim agere in conspectu censorum oportebat. itaque notatum legimus, qui paullo liberius ijs praesentibus hiasset. Magistri morum censes uocabantur, quia regendis moribus quinto quoque anno crearentur. de quibus Cicero lib. III. de leg. Mores populi regunt. Potestatem censoriam Trebellius Pollio in Valeriani uita ostendit his uerbis: Suscipe censuram, quam tibi detulit Romana resp. quam solus mereris, iudicaturus de moribus nostris. Tu aestimabis, qui manere in curia debeant. tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges: tu censibus modum pones: tu uectigalia firmabis: diuides statum: res publicas recensabis. Tibi legum scribendarum auctoritas dabitur. Tibi de ordinibus militum iudicandum est: tu arma respicias: tu de nostro palatio, tu de iudiciis, tu de praefectis eminentissimis iudicabis: excepto denique praefecto urbis Romae, exceptis consulibus ordinarijs, & sacrorum rege, ac maxima uirgine Vestalium, si tamen incorrupta permanebit, de omnibus sententias feres.



IN . EPISTOLARVM

M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM QVARTVM

AD . SVLPICIVM . ET . ALIOS

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS



Argumentum ep. I. lib. IV.



STATIS patebit huius epistolae argumentum, si lector sciat scriptam esse, cum Caesar, pulso ex Italia Pompeio, bellum contra legatos eius in Hispaniam pararet, L. Lentulo, C. Marcello cos. ante mensem Maium, quod sequenti cognoscitur epistola. Respondet Sulpicio congressum petenti: in quo suam uoluntatem cum eius uoluntate consentire demonstrat, sed eam esse rationem temporum, ut remedium extinctae reip. nullum afferre possint. Negotiale argumentum: moralia quaedam interiecta, ut de Sulpicij laude, de utriusque in patriam studio, de dolore ex amissa reip. salute:

M. Cicero S. D: Ser. Sulpicio. I.



TREBATVS, familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quae fuisse quibus in locis essem; molestae ferre, quod me propter ualitudinem tuam, cui ad urbem accessissem, non uidisses; & hoc tempore uelle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum communicare. Utinam, Serui, saluis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profecto aliquid opis occidenti reip. tulissemus. cognoram enim iam absens, te haec mala multo ante prouidentem, defensorem pacis & in consularu tuo, & post consularum fuisse. ego autem cum consilium tuum probarem, & idem ipse sentirem, nihil proficiebam. sero enim ueneram: solus eram: rudis esse uidebar in causa: incideram in hominum pugnandi cupidorum